THESES EX UNIVERSA THEOLOGIA QUAS AUSPICE EMINENTISSIMO...

Antonio Dupont

292

EMINENTISSIME PRINCEPS

Si publica de rebus theologicis disputatio, Princeps Eminentissime, in hac urbe aut in hoc ipso loco peregrinum aliquid et inusitatum esset, vel si huiuscemodi disputationum causa cuipiam audientium esse posset obscura, eam statim ab exordio promendam et explicandam sane intelligerem. Nunc, quia solemnis disputandi consuetudo in omnium oculis et cognitione versatur, eiusque consuetudinis ratio abdita non est, nihil me arbitror ea de re proloqui oportere, quam nemo audire sine fastidio queat. Illud silentio praeterire non possum, quod, etsi non est obscurum, tamen iustissimi obsequii gratique animi causa et a me palam declarari debet, et ab omnibus qui adsunt praeclarissimis viris, utpote debitum, iure optimo postulatur; cur Te po-

tissimum auspice, Princeps Eminentissime, hanc disputationem aim initurus. Aperiam igitur libenter, at simul paucis; ne, dum silentii vito reprehensionem, incidam in immodestam praedicandi libertatem. Sacra, qua fulges, purpura fecit, ut non tam me, quam hunc amplissimum doctorum hominum consessum istius dignitatis Tuae amplitudine auctum honoratumque cuperem; natio germanica, Tuaque de germanicis ecclesiis studiosissima sollicitudo, ut Te inter omnes eiusdem dignitatis principes mihi collegii germanici alumno mallem fautorem atque patronum; benevolentia, qua utrumque collegium romanum atque germanicum iamdudum complecteris, ut ipsa facilitate Tua aditum ad Te mihi apertum quodammodo reperirem; denique scientia rerum divinarum et multiplex eruditio, quibus Te cumula-

tissime exornatum norunt omnes, ut Te unum instar plurimorum haberem, multumque me esse consecutum arbitrarer, si haec studiorum meorum principia Tuo essent indicio comprobata. Principia, inquam, studiorum; neque enim ita sum oblitus mei, ut, quamquam theses ex universa theologia Tuo inscriptas nomini propugnandas hodierno die suscipio, putem me universam theologiam hoc quadriennio esse complexum. Plurima enim sunt quae hisce thesibus non continentur; quaeque continentur, tam late patent, tam multis, variis, implexisque vestigationibus animum quaerendi cupidum sollicitare possunt, ut (dicam verbis Augustini) *in eis quotidie proficerem, si eas solas ab ineunte aetate ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere . . et*

hoc contingat quod Scriptura quodam loco habet: cum consummaverit homo, tunc incipit. (Ep. ad Volus. 137. n. 3.) Atque haec ipsa theologiae immensa vastitas efficit, ut, quoniam comprehendi cuncta non posse constat, omnes pariter delectu ot modo opus esse sentiamus, omnesque unanimi voto rerum summam velimus, in qua praecipua quaeque aptissima methodo contineantur. At vero, ubi ad opus ventum est, homines sumus, humanisque in rebus velle quod sit optimum honorum omnium est, videre paucorum, exsequi haud scio an neminis dicam: praesertim quod pro diversis, quibus quisque in iudicando regitur principiis, et maxime pro vario, in quem intuetur, fine diversa sint de rebus ipsis praecipuis deque aptiore methodo iudicia. Ad me quod attinet, ipsac, nisi fallor, positio-

nos quas propugnare aggredior satis superque declarant, quae doctrinae capita praetulerim, quemque in iis pertractandis ordinem secutus sim: hoc est, quomodo id semper spectaverim, ut primo quidem id, quod catholica fides proponit credendum, ex universo Dei verbo scripto et tradito solido demonstratum dici posset, quoniam, ut Augustinus ait, *primum secundum auctoritatem scripturarum sanctarum, utrum ita se fides habeat, demonstrandum est* (De Trin. L. 1. n. 4.): deinde ut ex iisdem fontibus catholicorum dogmatum intelligentiam compararem, praeeunte ac praeluconte scholasticorum Doctorum auctoritate, sine qua vix fieri posse puto, ut in hac altera parte theologicae inquisitionis quisquam aut tuto incedat aut multum proficiat. Hi enim, ac praesertim illorum princeps Angelicus Doc-

tor, dispersss in Patribus scintillas tam apte colligunt, collectasque fovent, ut magnam lucem in rebus ipsis difficillimis emittant. Verum utrum id, quod efficere volui, reapse assecutus sim, non meum sed aliorum erit iudicium. Novi enim quam longo saepe intervallo exitus a proposito distet. Interim erigit me Tua, Eminentissime Princeps, plena benevolentiae atque humanitatis praesentia; et magna parte trepidationis liberor dum considero, posse me quidem fructu eius laudis, quae his experimentis proponitur, carere; at illud certe consecuturum, ut et moderatoribus in suscipiendo hoc periculo morem gesserim, et Tibi publicam observantiae, gratique animi significationem, non meo solum sed etiam utriusque collegii nomine, sin minus felicitate disputandi, certe humillima ipsius disputationis dedicatione persolvam.

THESES

EX UNIVERSA THEOLOGIA

DE ECCLESIA

EIUSQUE VISIBILI CAPITE ROMANO PONTIFICE

I

Christus Ecclesiam instituit, supernaturalem scilicet societatem, unam visibilem ac perpetuam, ut in ea et per eam fideles veram Christi religionem profiterentur aeternamque salutem sibi compararent.

II

Certae adsunt visibiles Ecclesiae proprietates ac notae per quas quaestio dirimitur quae sit inter Christianas communiones vera Christi Ecclesia, ut dein ex Ecclesiae auctoritate quaestiones de controversis doctrinis dirimantur.

III

Praedicatio verae doctrinae, et legitima Sacramentorum administratio, certe habetur in vera Ecclesia: at errant protestantes dum eam proponunt ut notam eamque praecipuam qua vera Ecclesia a sectis distinguatur.

IV

Unitas, sanctitas, catholicitas et apostolicitas ut notae Ecclesiae iure recensentur.

V

Hisce notis adaequate spectatis insignis est Romana communio, iisdemque carent communiones omnes a Romana seiunctae.

VI

Vera itaque Christi Ecclesia una Romana communione continetur: aliae autem communiones omnes ac singulae nec sunt vera Ecclesia, nec verae Ecclesiae partes, sed sectae sunt schismaticae aut haereticae.

VII

Una sancta catholica et apostolica Ecclesia iure optimo nuncupatur *Romana* ex Romana sede *ad quam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam* (*)

VIII

Romanae sedis primatus ipse est Petri primatus a Christo Domino Matth. XVI Petro promissus, et Io. XX collatus atque in Petri successoribus Romanis Pontificibus ex divina Christi institutione iugiter perseverans.

IX

Primatus Petri, Romanorumque Pontificum, confirmatur Patrum suffragio et omnigenis Christianae traditionis monimentis

(*) Iren. c. haer. l. III. c. 3

X

Primatus auctoritas plenitudo est apostolatus et episcopalis auctoritatis quae Christi fideles complectitur omnes et singulos, etiam episcopos: auctoritas vero tum extraordinaria Apostolorum tum ordinaria Episcoporum cum primatus auctoritate optime conciliatur.

XI

Finalis caussa instituti primatus est praecertim Ecclesiae unitas tum fidei tum communionis, non modo repraesentanda sed per insitam auctoritatem visibiliter efficienda et conservanda, iuxta vulgatum illud Cypriani effatum (*) *Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia et cathedra una monstretur.*

XII

Quicumque itaque cum Petro non communicent extra unitatem sunt Ecclesiae Christi, atque inane est sectarum effugium dum aiunt se a Romana quidem Ecclesia, non autem ab Ecclesia Christi esse seiunctos: imo vero supremum criterium ad dignoscendam Ecclesiam compendiosa atque eloquenti Ambrosii formula exhiberi potest: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia.*

XIII

Hinc synthetice verae Christi Ecclesiae definitio cum Bellarmino (**) haec comprobatur « unam et veram Christi Ecclesiam esse coetum hominum eiusdem Christianae fidei professione et eorumdem sacramentorum communione colligatum sub regimine legitimorum Pastorum ac praecipue unius Christi in terris Vicarii Romani Pontificis. »

(*) De Un. Eccl.
(**) De Eccl. mil. l. 3. c. 2.

102

DE DIVINA TRADITIONE

EIUSQUE HABITU AD DIVINAS SCRIPTURAS

DE DIVINAE TRADITIONIS INTRINSECA RATIONE ET ORGANO PRINCIPE

XIV

Sicut catholica sententia in Concilio Tridentino iterum declarata ac definita duplicem agnoscit christianae doctrinae fontem, duplexque cognitionis obiectivum principium, *Scripturam* et *Traditionem* divinam, cuius utriusque authentica et custos et interpres sit Ecclesia: ita praecipuae Protestantium sectae omnes in libris suis symbolicis et ex totius systematis ratione, unum constituunt cognoscendi principium, Scripturam; simulque instrumentum et iudicem confundunt.

XV

Nomen *traditionis* significationem praeseferre potest vel *activam* vel *obiectivam* vel ex utraque *complexam*.

XVI

Traditionis christianae sensu *obiectivo* acceptae partitio in primis necessaria est ea, quae petitur ex diversa eius origine; est enim alia *divina*, alia simpliciter *apostolica*, alia *ecclesiastica* traditio, quarum cuique sua dispar tamen est auctoritas et firmitas. Neque desunt certa criteria, quibus traditio divina ab alia inferioris ordinis discernatur

XVII

Licet Traditio aliquando latiori sensu dicantur a PP omnia dogmata et instituta ex antiquitate Ecclesiae transmissa, etiam quatenus ut medium propagationis consideretur S. Scriptura; significatione tamen strictiori et specifica nomine Traditionis adsignificatur modus transmissionis et conservationis a Scriptura sacra diversus, quae significatio nominis ita communis est, ut semper praesumatur nisi altera latior in singularibus contextibus demonstretur.

XVIII

Ubi de divina Traditione in se spectata eiusque auctoritate agitur, quaestio non tam habenda est de veritatibus traditis, quam de traditionis modo ac organo: huic enim alteri prior subordinatur et hac soluta etiam illa soluta censeri debet.

XIX

Dum de organo et modo propagationis ac conservationis doctrinae et disciplinae christianae quaeritur, imprimis ex ipsa oeconomia institutionis et primae promulgationis etiam sola per se spectata colligitur, organon conservationis esse authenticum magisterium, cui Scripturae sint instrumentum doctrinae, non autem Scripturas esse medium unicum conservationis doctrinae, et multo minus esse fontem religionis christianae ita, ut hanc integram singuli independenter ab authentico visibili magisterio ex Scripturis sibi hauriant.

XX

Verbis disertis iisdem, quibus Christus Apostolos designavit authenticos suos legatos supernaturali veritatis charismate instructos ad doctrinam a se vel a Spiritu Sancto acceptam Ecclesiis tradendam, simul etiam instituit, ut perpetua esset successio legatorum et in his charisma veritatis ad doctrinam ab Apostolis acceptam integre custodiendam et in posteros propagandam.

XXI

Ministerium authenticum divinitus institutum ad custodiam et propagationem doctrinae ex Apostolorum praedicatione acceptae neque sua in functione mutatum neque auctoritate minutum est, ex quo N. T. libri conscripti sunt et Ecclesiis traditi, quod quidem tum ex praecedentibus corollarii instar consequitur, tum etiam speciatim ex ipsa ss. librorum origine historica et intrinseca dispositione demonstratur.

XXII

Iuxta formam ac institutionem, quam ex evangeliis et apostolicis scriptis demonstravimus, Ecclesia aevi apostolici et sequentium deinceps aetatum constituta exhibetur in ceteris idoneis monumentis, et tum professione diserta tum constante modo agendi semper et ubique huc nixa principio: successores esse Apostolorum, qui perpetua serie et mutua communione cohaerentes per charisma veritatis custodiant depositum fidei, ut «nihil detrahi nihil addi possit coelesti dogmati, quod semel revelatum esse sufficiat.» (*)

(*) S. Vincent. Lirin. commonitor.

XXIII

Quamvis suprema ratio, ex qua perennis conservatio integritatis doctrinae et certitudo se securitas de hac conservatione oritur, sit promissum et collatum a Christo perpetuum charisma veritatis; ipsa tamen visibilis constitutio et communio custodum fidei quovis tempore ita se habuit, ut secundum suavem Dei providentiam muneri iugiter conservandae traditionis plene respondeat.

XXIV

Discrimen inter principia Ecclesiae ante Concilium Nicaenum et Ecclesiae sequioris aetatis a Protestantibus quibusdam doctoribus assertum, quod Ecclesia uno tempore apostolicam originem suae doctrinae testimoniis mere historicis, tempore alio auctoritate sui magisterii vindicare consueverit, plane fictitium censeri debet: quovis enim tempore elementum historicum in antiquitate et consensione testificationis et elementum divinum auctoritatis per assistentem Spiritum veritatis distingui, et pro re nata unum magis directe quam alterum urgeri solebat, nunquam tamen unum ab altero separatum est

XXV

Fides tradita in toto consentiente fidelium coetu a Spiritu veritatis per magisterium authenticum successionis Apostolicae semper conservatur ab errore immunis. Licet ergo sive singulis de plebe fidelium, sive plebibus integris non sit facultas authentice docendi sed officium discendi, totius tamen populi christiani « catholicus sensus » et consensus in dogmate christianae fidei criterium censeri debet divinae traditionis.

XXVI

Traditio hucusque secundum divinitus institutum et princeps suum organon considerata, spectari porro potest ut monumentis antiquitatis ecclesiasticae, potissimum monumentis scriptis conservata est; haec enim monumenta suppeditant certum argumentum divinae Traditionis seu potius exhibent Traditionem ipsam, quatenus ex illis consensus custodum depositi in aliquod doctrinae caput tamquam pertinens ad christianam fidem demonstratur; per se autem et in formali ratione monumentorum subsidium tantummodo sunt conservandae Traditionis et instrumentum doctrinae prae ipso organo principe, quamvis cum hoc intime nexum et ei veluti connaturale.

XXVII

Consensus testium, de quo diximus, ex monumentis demonstrari potest dupliciter, 1.° directis testimoniis, quae vel ex diversis aetatibus et Ecclesiis deprompta communem et universalem professionem ipso suo consensu immediate exhibent vel continent solemne et authenticum de doctrina iudicium ad Ecclesiam universam; 2.° demonstrari potest illatione, quando paucorum etiam testimonia ex indole testium, causae et adiunctorum non nisi communem fidem referre intelliguntur.

XXVIII

Inter monumenta christianae antiquitatis et nominatim inter scripta SS. Patrum merito discernuntur primum ea, quae Episcopos auctores habent eorumque consentien-

tem referunt doctrinam tamquam custodum fidei ac iudicum, tum alia auctoritatis privatae; iis enim priora immediate exhibent auctoritatem supernaturalem, quae « cum episcopatus successione per charisma veritatis certum » connexa est, haec posteriora mediate tantum in cognitionem authenticae illius testificationis deducere possunt. Quare unanimis et constans theologorum scholae sententia de aliqua doctrina tamquam ad fidem pertinente mediate saltem legitimum censeri debet testimonium divinae traditionis.

XXIX

Singulorum Patrum auctoritas per se spectata non quidem infallibilis est et peremptoria, persuadet tamen non modo pietas sed etiam manifesta ratio, ut et singulorum sententiae theologicae non parvi fiant, et non nisi cautissime in sensum accipiantur dissonum a communi aliorum Patrum in dogmate et in rebus theologicis doctrina.

DE RELATIONE INTER DIVINAS TRADITIONES ET SCRIPTURAS

XXX

In comparatione verbi Dei traditi cum verbo scripto tenenda haec sunt: *a)* inter ea quae clare in Scripturis continentur, eminet ipsa demonstratio successionis apostolicae velut organi divinitus instituti ad infallibilem custodiam et explicationem traditae doctrinae; *b)* licet concedatur ea omnia, quae ab omnibus fidelibus explicite credenda sunt, contineri explicite in Scripturis, non tamen continentur ita, ut controversiae de iis exortae ex solis Scripturis independenter ab authentico magisterio ad cap-

tum omnium finiri queant, neque ergo in his ad fidei unitatem in catholicitate servandam Scripturae solae sufficiunt; *c)* licet demonstrari semper possit, innovationes haereticorum esse *praeter* Scripturas, et demonstrari pleramque possit, innovationes easdem esse *contra* Scripturas, utrumque tamen non fit independenter a Traditione et citra respectum ad normam catholici intellectus. Noo igitur absolute sed triplici hac restrictione supposita praedicari potest et a SS. Patribus praedicatur Scripturarum plenitudo se sufficientis.

XXXI

Quod spectat ad factum ipsum exsistentiae traditionum quae scriptae non sint; *a)* evidenter constat, nec ex rerum naturis, nec ex consueto divinae providentiae ordine in historia revelationis manifestato requiri ad obsequium fidei exigendum hanc velut conditionem, ut veritas credenda sit Scripturis consignata; *b)* demonstrato *principio traditionis formali*, institutam esse successionem apostolicam ad servandum integrum fidei depositum, negari non potest catholicum *principium materiale*, etiam post absolutum canonem Scripturarum verbum Dei Traditione conservatum et obiectum fidei christianae istius patere, quam verbum Dei scriptum. *c)* Protestantes suum principium in libris symbolicis et confessionibus expressum, non istius patere verbum Dei credendum quam verbum Dei scriptum, sine manifesta contradictione tueri non possunt.

XXXII

Magisterium authenticum divinitus institutum sub directione Spiritus Sancti censeri debet interpres infallibilis Scripturarum Sacrarum; unde *praedicatio ecclesiastica*,

quatenus continet iudicium consentiens de singularibus Scripturae locis simpliciter et absolute est *intelligendi regula*, universim autem spectata est canon interpretationis significatione *negante*, quod sensus ei contradicens numquam potest esse verus, et significatione *aiente*, quod ad verum sensum reperiendum vel confirmandum pleromque manuducit et non mediocriter iuvat.

XXXIII

Prae habitu quo Traditio et Scriptura mutuo sese excipiunt, patet ex dictis, *a)* non solum ordine *ontologico* Traditionem ad doctrinam Scripturis consignatam se habere ut totum ad partem, et ordine *chronologico* praedicationem ad scriptionem verbi Dei ut prius ad posterius, sed etiam *b)* ordine *logico per se et universim* cognitionem, quam de Scripturis et ex Scripturis habemus, pendere a cognitionibus derivatis ex Traditione et ex praedicatione ecclesiastica.

XXXIV

Neque tamen ideo aut petitio committitur principii, aut stabilitus ordo subvertitur, quando pro pleniore demonstratione authenticae Traditionis ad quaedam testimonia quorumdam librorum S. Scripturae appellamus, vel etiam cum SS. Patribus in certa quadam hypothesi ex Scripturis formaliter ut inspiratis auctoritatem praedicationis ecclesiasticae demonstramus.

XXXV

Revelatio catholica in plenitudine temporis a Christo Dei Filio per seipsum et per Spiritum Sanctum in Apostolis complela censeri debet, ita ut non solum nova oeconomia perfectioris ordinis et amplioris revelationis Dei ab antiquis nonnullis et recentioribus haereticis conficta excludatur, sed etiam in oeconomia praesenti nullum obiectivum incrementum depositi fidei catholicae Sacris Scripturis et apostolica traditione comprehensi post Apostolos sot factum sit in Ecclesia militante adhuc exspectandum sit.

XXXVI

Rite constituta primum distinctione, qua veritates revelatae inter se differunt tum ratione obiecti materialis tum modo diverso praedicationis apostolicae et traditionis, affirmandum est, posse esse et esse in deposito obiectivae revelationis veritates, quae s) non semper et ubique continerentur explicite in catholico intellectu et in manifesta praedicatione ecclesiastica; quae ideo b) aliquo tempore intra ipsos fines Ecclesiae citra crimen haeresis in controversiam vocarentur; adeoque c) posse aliquas veritates revelatas aliquo tempore esse obscuras, numquam tamen posse obscurari ita, ut adversus eas praevaleat oppositus et negans consensus.

XXXVII

Canon S. Vincentii Lirinensis (commonit. n. 3. 4. 38. 41.) quo charecteres doctrinae catholicae assignantur *universitas, antiquitas* et *consensio*, si a) per se spectetur, ve-

rissimus est sensu *affirmante*, quod doctrina hisce characteribus insignis est certe dogma fidei catholicae; non tamen verus est sensu *excludente* ita, ut ad depositum fidei nihil pertinere possit, quod non *ubique et ab omnibus semper* explicite creditum sit. Si autem *b)* sensus regulae in contextu ipsius Commonitorii quaeratur, nihil aliud exhibetur quam duplex nota utravis sufficiens ad dignoscendam *antiquitatem absolutam* seu *apostolicitatem* doctrinae, consensus videlicet *praesens* Ecclesiae et consensio antiquitatis *relativae* existens ante exortam controversiam.

XXXVIII

Ex dictis infertur propriisque argumentis confirmatur, infallibiles fidei custodes esse etiam infallibiles fidei doctores, ut in obiectiva revelatione Scripturae et traditionis implicita explicent, ambigua definiant, minus diserta « instantiori praedicatione » proponant; qua in functione licet elemento humano inquisitionis et scientiae suus sit locus, infallibilitas tamen explicationis et definitionis a promissa assistentia et directione Spiritus veritatis repetenda est. Falsum est igitur, quod recens quaedam schola asserunt, in explicatione dogmatum hoc unum esse munus Ecclesiae docentis sub assistentia Spiritus Sancti, ut identidem ferat iudicium, quaenam inter plures diversas intelligendi dogmatis rationes pro quolibet scientiae stadio ceteris potior habenda sit.

DE DEO UNO SECUNDUM NATURAM

DE DEI EXISTENTIA

XXXIX

Licet theologia fidei cognitionem existentiae Dei naturalem praesupponat, sicut ordo supernaturalis elevationis generatim supponit ordinem naturalem elevandum, non tamen a theologia alienum est instituere examen ipsius naturalis cognitionis cognitionisque modi.

XL

Revelatio supernaturalis in Sacris Scripturis consignata perspicue docet, spectabili hoc universo secundum triplicem eius ordinem *physicum, historicum, ethicum* contineri Dei manifestationem naturalem congenito humanae rationis lumini aptatam, ut hominibus ratione iam utentibus et facultas sit et, si alia desint praesidia, officium ex ea cognoscendi verum Deum, personalem, ab hoc universo distinctum, a creatura rationali supremo cultu honorandum.

XLI

Facultatem cognoscendi existentiam Dei ex creaturis Scripturae ita asserunt, ut revelationem positivam traditione propagatam nullatenus supponant tamquam conditionem, sine qua non possit ratio humana ad eam cognitionem pervenire; nec recognitionem tantummodo veritatis fide creditae sed cognitionem Scripturae docent existentis Dei ex creaturis deducendam.

XLII

Doctrinam in Scripturis traditam de Dei existentia lumine rationis insito cognoscenda Patres Doctoresque christiani inde a primordiis Ecclesiae consensione maxima excoluerunt; ex monumentis enim quae supersunt omnino constat, hanc omnibus aetatibus et in omnibus Ecclesiis Doctorum fuisse persuasionem 1.° spectabili hoc universo contineri Dei existentia manifestationem ad rationem humanam; 2.° hanc Dei manifestationem rationisque vim insitam ita esse comparatam, ut in omnium animis, qui rationis functiones non oppresserunt, cognitio aliqua saltem confusa Dei ex ipsa obvia universi consideratione citra aliam de Deo institutionem ac disciplinam velut sponte sua oriatur; 3.° ad hanc primitivam cognitionem ex ipsa universi consideratione excolendam, ut plenior evadat et distinctior, tum obiective splendorem in creaturis tum subiective vires rationis non deesse.

XLIII

Quod Sancti Patres Iustinus Martyr, Athenagoras Theophilus Antiochenus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, Origines, Athanasius, Basilius, Gregorius Nazianzenus et Gregorius Nyssenus cognitionem Dei *naturae insitam, anticipationem omnium hominum qui ratione utuntur, animae dotem a primordio, cognitionem ex congenita naturae lege*, et *cognitionem ex ipsius animae impulsu* appellaverunt; id inspectis ipsis Patrum contextibus ita intelligendum esse affirmamus, ut cognitionem Dei ex consideratione creaturarum insito rationis lumini obviam Patres distinguant a cognitione per institutionem ac disciplinam acquisita vel generatim a cognitione excultiori, non vero ita ut ideam Dei nobis concreatam esse doceant eamque opponant cognitioni simpliciter acquisitae.

XLIV

Praeter manifestationem Dei in operibus naturae alia est factis supernaturalibus comprehensa. Supernaturalium enim factorum complexus ut aspectabilis ordo historicus et *novum quoddam universum*, Dei existentiam et perfectiones multiplices splendidissime manifestat, quatenus imprimis ratio ipsa et factorum existentiam et eorumdem cum existentia Dei Deique perfectionum necessarium nexum certo assequi potest.

XLV

Dei existentia non solum lumine rationis cognoscitur sed etiam revelato verbo Dei promulgata est; quare eadem sicut sub una ratione est praeambulum fidei, ita sub alia ratione est veritas fidei credenda propter auctoritatem Dei revelantis. Quin in hac quaestione ad auctoritatem appellemus Divi Thomae, cuius sententia a diversis modo diverso explicatur, defendimus ex aliis rationibus, huius fidei actum nec evidentia cognitionis rationalis excludi, nec impediri antecessione cognitionis Dei revelatoris, quae ad omnem formalem actum fidei natura prior et fundamenti instar supponatur.

DE SCIENTIA DIVINA CONSIDERATA SECUNDUM SE

XLVI

Quoniam Deus Spiritus est infinitus et simplicissimus, ideo est absolutus actus intellectualis. Quare sicut Deus secundum plenitudinem perfectionis est verum absolutum infinite cognoscibile, ita secundum quod est actus intellectualis et substantialis, suam infinitam essentiam perfecte comprehendit.

XLVII

Divina essentia ut *infinitum verum* et primum intelligibile, a quo nullum verum indipendens esse potest, ut *idea exemplaris* (sive in actu primo et necessario omnium possibilium, sive in actu secundo et non necessario omnium aliquando existentium), ut *repraesentatio* denique infinita omnis veri, obiective exhibet divino intellectui quidquid habet rationem veri. Divina igitur intellectio infinita per ipsam essentiam necessario determinata est ad comprehensionem omnis veri.

XLVIII

Ex ratione, qua intellectionem Dei ad essentiam divinam et per essentiam ad cetera omnia se habere demonstratur, sponte consequitur, essentiam divinam esse et merito a theologis dici obiectum princeps et formale, reliqua autem vera universa obiectum esse secundarium divinae cognitionis.

XLIX

Quamvis Deus obiecta secundaria scientiae suae non cognoscat in ipsis tamquam in causa determinante et perficiente scientiam, cognoscit tamen ea non solum ut sunt eminenter in divina essentia, sed etiam ut formaliter in seipsis sunt vel esse possunt.

DE SCIENTIA DIVINA
CONSIDERATA SECUNDUM DIVERSA SUA OBIECTA

L

Quamvis scientia Dei in se unus sit simplicissimus actus substantialis, ex diversa tamen ratione obiectorum quae eidem subsunt, caussa repetitur, cur iuxta solemnes partitiones merito distinguatur *scientia simplicis intelligentiae, visionis*, et *media inter utramque; scientia necessaria absolute*, et *necessaria solum ex hypothesi, scientia sistens in cognoscendo*, et *scientia pertinens ad efficiendum (speculativa* et *practica), scientia approbationis*, et *improbationis*, quae postrema non sine caussa in Scripturis etiam ignoratio solet appellari.

LI

Obiectum adaequatum scientiae simplicis intelligentiae, quae simul est scientia absolute necessaria, sunt omnia possibilia secundum formalem possibilitatis obiectivae rationem; ad obiectum autem secundarium scientiae visionis eiusdemque necessariae solum ex hypothesi pertinent imprimis omnia, quae Deo operante vel se solo vel etiam per caussas secundas independenter a liberis actibus voluntatis creatae aliquando realiter existunt.

LII

Scientia visionis Deus in sua aeternitate etiam intuetur actus omnes liberos creaturarum pro quavis temporis differentia existentes, illorum tamen existentia a scientia visionis tamquam a caussa non pendet, sed immo libera creatae voluntatis determinatio in tempore est conditio, sine qua illi actus utpote mere possibiles vel solum sub alia hypothesi futuri non scientiae visionis sed simplicis intelligentiae vel mediae obiectum forent.

LIII

Post declaratam rationem praescientiae Dei facile demonstratur, infallibilem praevisionem divinam non magis officere libertati actuum humanorum, quam necessitatem consequentem, qua, dum agimus, non possumus simul non agere.

LIV

Ex Scripturarum auctoritate, Patrum suffragio et universali quadam christiana persuasione indubitatum est, ad obiectum infallibilis scientiae Dei pertinere actus, ad quos creata voluntas sub conditionibus actum primum constituentibus et cum actu secundo ex sese et suapte indole non infallibiliter nexis se ipsam libere determinatura esset, si conditiones illae reapse ponerentur. Cuius quidem scientiae obiectum cum nec mera sit existentiae possibilitas, nec existentia quatenus aliquando actu est, sed existentia quatenus sub conditione actu esset; ea non immerito nomine *scientiae mediae* a scientia simplicis intelligentiae et a scientia visionis distingui potest.

DE VOLUNTATE DEI SALVIFICA ANTECEDENTE

LV

Licet divina voluntas in se unus sit actus simplicissimus, est tamen cur eam consideratione et ratione multipliciter distinguamus. Maxime necessariae a SS. Patribus et theologis usurpatae distinctiones sunt, in voluntatem *antecedentem* et *consequentem*, in voluntatem *acta efficientem* suum terminum, et voluntatem, quae fertur in suum ter-

minum *sub conditione* pendente etiam a libera creaturae cooperatione, in voluntatem spectatam *secundum totam amplitudinem* auxiliorum, quae sunt in potestate omnipotentis, et voluntatem spectatam *secundum auxilia, quae actu confert*, in voluntatem denique *praecipientem*, ac *praecipientem simul et sancientem* legem.

LVI

Hisce distinctionibus positis, facile patet, quo sensu Patres et S. Augustinus nominatim hinc quidem doceant, voluntati Dei neminem resistere aut resistere posse, nihil esse quod Deus fieri voluerit et factum non sit, voluntatem Dei esse semper invictam, inde vero consentiant, homines frequenter facere contra voluntatem Dei, et multa fieri quae Deus fieri non vult, et voluntatem Dei non semper impleri.

LVII

Voluntate antecedente Deum in hoc ordine generis humani lapsi et reparati non eorum modo qui salvantur, sed aliorum etiam velle aeternam salutem, immo voluntatem eam salutiferam ad omnes omnino homines protendi, qui rationis usum adepti sunt, ex sacrarum Scripturarum doctrina demonstratur.

LVIII

Pariter Sancti Patres docent unanimes, voluntate antecedente velle Deum omnes homines salvos fieri, nec aliam eius esse voluntatem negandi aeternam salutem et damnandi nisi consequentem conceptam ex intuitu propter peccata, quae numquam expiata divinae praescientiae obversantur.

LIX

Ad Augustinum quod spectat, testimoniis constat minime ambiguis, eum etiam post cognitam iam Pelagianam haeresim cum ceteris Patribus docuisse, voluntatem Dei salvificam antecedentem plane universalem esse.

LX

Quoties Augustinus in suis libris adversus Pelagianos et Semipelagianos textum Apostolicum 1. Tim II. 4. de voluntate salvifica particulari interpretatur, et ex eo testimonio consequi negat, voluntatem, quae ipsi in disputationibus polemicis obversatur, esse universalem, toties S. Doctor *a)* intelligit voluntatem actu efficientem salutis aut voluntatem absolutam non vero antecedentem et conditionatam; *b)* non asserit hanc esse sensum loci apostolici aut immediatum aut exclusivum ita, ut de voluntate salvifica antecedenta et universali, de qua ipse alibi eumdem locum interpretatus est, intelligi non possit ac debeat; *c)* ad valorem interpretationis de voluntate actu efficace et absoluta quod pertinet, hic sensus, licet mediatus et per modum consequentis, revera subest verbis Pauli et sensui immediato superadditus pleniorem rei, de qua loquitur Apostolus, suppeditat intelligentiam.

LXI

Antecedentem voluntatem, qua Deus vult omnes homines salvos fieri, non solum ad adultos adiutorii gratiae capaces, sed etiam ad omnes « parvulorum dierum homines » licet non secundum eamdem rationem pertinere, affirmandum est. Qui ergo ex illis morte praeripiuntur baptismo, non antecedente sed consequente voluntate ab aeterna beatitudine excludi existimandi sunt.

LXII

Ex praestitutis consequitur, plane impiam esse haereticorum, qui *antelapsarii* dici solent, doctrinam statuentium, Deum antecedenter ad omnem mali meriti etiam ipsius peccati originalis praevisionem decreto absoluto homines, qui pereunt, ad aeternum exitium destinasse, ut suam in eorum damnatione iustitiam glorificet.

LXIII

Ex claris et repetitis Calvini assertionibus indubitatum est, eum in hac *antelapsariorum* impietate fuisse; immerito igitur plures e Protestantibus scriptores catholicos in calumniae crimen vocarunt, et perperam Catholici nonnulli doctrinam Calvini intellexerunt, qui illum ab hac haeresi immunem fuisse putarunt eo, quod subinde causam damnationis in ipsis hominibus pereuntibus constituere videtur.

LXIV

Doctrina Novatorum de absoluto et antecedente reprobationis decreto, simul spectata huius decreti executione, aeque falsa est, etiamsi ea accipiatur, ut a Protestantibus *infralapsariis* nominatimque a calviniana synodo Dordracena et a Iansenianis est emollita.

LXV

Cum demonstrata voluntate Dei, ut omnes homines salvi fiant et nullus eorum pereat, neque satis conciliari posse videtur reprobatio negativa a vita aeterna, eo modo intellecta, quo eam plures theologi catholici voluntati Dei antecedenti adscribendam esse censuerunt.

LXVI

De habitu ac ordine, quo dona Dei sese excipiant in praeparatione ac praedestinatione, ex Patrum doctrina universim statui potest, ita se habere ad meritum praevisum beneficia Dei in praedestinatione ut ad meritum acquisitum se habent eadem beneficia in collatione et ipsa iam donatione. Quae ergo dona Dei in tempore conferuntur mere gratuito, eadem ratione ab aeterno praedestinantur; quae vero in exsecutione retribuuntur meritis praecedentibus, ea etiam in aeterna praedestinatione non decernuntur conferenda nisi ex meritis praevisis, ita ut prae hac ad causam meritoriam habitudine a gravibus theologis iure doceatur, ordinem praedestinationis eundem esse qui est ordo exsecutionis.

LXVII

Cum « Deus praedestinavit sanctos suos et ad gratiam vitae bonae et ad gratiam vitae aeternae » (1), praedestinatio inadaequate spectata prae priori suo termino, qui est gratia vitae bonae, dicenda est praedestinandorum merita praevertere et esse gratuita ea ratione, qua gratiam ipsam gratis conferri non meritis reddi confitemur. Hoc igitur sensu praedicatio gratuitae praedestinationis et doctrina catholica de gratuita gratia cohaerent ita, ut negata una etiam altera subvertatur, « aut enim praedestinatio praedicanda est, quemadmodum eam S. Scriptura evidenter loquitur, aut gratiam Dei secundum merita nostra dari confitendum, quod sapiunt Pelagiani » (2).

(1) S. Fulgent. de veritat. praedest. l. III c. 5

(2) S. August. de dono persev. c. 16. n. 41.

LXVIII

Quapropter etiam repugnat, ut praedestinatio considerata complete prae tota effectuum serie sit ex praevisione meriti praedestinatorum, quod nisi praeveniens gratiam ac naturale esse non posset. Certum est igitur ac ratum, quod ait Angelicus Doctor: « impossibile est, quod totus praedestinationis effectus in communi habeat aliquam causam ex parte nostra » (1).

LXIX

Si vero *praedestinatio* adultorum *ad gloriam* per sese et seorsum spectetur, ex Scripturis colligitur et ex eorum Patrum, qui de hac praedestinatione ad gloriam expressius locuti sunt, diserta doctrina persuadetur, eam non voluntati Dei *antecedenti* sed voluntati *consequenti* praevisionem meritorum supernaturalium tribui oportere.

LXX

Manifesto in interpretando duplici loco S. Prosperi ep. ad S. Augustinum n. 8. et S. Augustini l. de Praedest. SS. n. 27. falli putamus eos, qui Prosperum, quid de praedestinatione ad gloriam post praevisa merita supernaturalia iuxta antecedentium Patrum doctrinam sentiendum sit, interrogasse putant, Augustinum vero huic interrogationi respondisse aiunt ita, ut illorum Patrum auctoritas quoad hoc doctrinae caput non parum elevari videatur: « nihil scilicet opus esse, ut eorum scrutemur opuscula, qui priusquam ista haeresis (Pelagiana) oriretur, non habuerunt necessitatem in hac difficili ad solvendum

(1) S. Thom. I. q. 23. a. 5.

quaestione versari ». Nam et Prosperi interrogatio secundum principia semipelagiana intelligenda est, et difficilis ad solvendum quaestio, in qua vetustiores Patres non nisi obiter versatos esse ait Augustinus, plane ad aliud pertinet quam ad praedestinationem gloriae ante vel post praevisa merita supernaturalia.

LXXI

Ad ipsius Augustini doctrinam quod spectat, certum est, S. Doctori cum Pelagianis eorumque reliquiis certamen nullum fuisse de ordine inter praedestinationem gratiae et praedestinationem gloriae, sed controversiam fuisse sicut de donatione ita de praedestinatione gratiae, et gratiae simul ac gloriae, exclusis meritis *humanis*, quibus vel gratia vel vita aeterna retribuatur. Praedestinatio igitur, « quam per Apostolos praedicatam contra novos haereticos operosius diligentiusque se defendisse, et omnes fidem numquam Ecclesiam Christi non habuisse » (1), Augustinus testatur, non est praedestinatio ad gloriam antecedens praevisionem meritorum supernaturalium.

LXXII

In epistola S. Pauli ad Romanos ac nominatim in capite IX, nihil est, quod doctrinae de praedestinatione gloriae consequente praevisionem meriti supernaturalis adversetur. Scopus enim Apostoli et nexus cum tota tractatione dogmatica a I. 16 usque ad XI. 36, cuius hoc caput partem constituit, clare demonstrat, non de gratuita praedestinatione gloriae per sese spectatae sed de gratuita gratia adoptionis in populum electum N. T. et iustificationis in fide et per fidem Jesu Christi Paulo esse sermonem.

(1) De dono persev. c. 19 et 23.

LXXIII.

Paulus tota sectione IX. 6 - 29 de vocatione ad fidem et de iustificatione sub ea sola ratione agit, qua nullo iure vel sanguinis vel operum antecedentium est debita. De cooperatione autem cum gratia et sub gratia, quae requiratur ex parte hominis, hic non loquitur nisi incidenter v. 22. adeoque eam non excludit sed ab ea interim praescindit; disertius enim liberam cooperationem hominis et simul causam proximam, cur Deus voluntate *consequente* non misereatur eorum, ad quos voluntate *antecedente* tota die expandit manus suas, Apostolus declarat in sequentibus IX. 30 - XI. 24. Cum igitur tria capita IX. X. XI. unum totum constituant, non poterant non errare et in haereses manifestas inciderunt antiqui Protestantes, qui in capite IX. seiunctim spectato totam voluntatis salvificae, iustificationis, et praedestinationis rationem explicatam reperire voluerunt.

LXXIV

Incisa singula ceteris difficiliora capitis IX ita explicanda esse defendimus: 1.° Non dicitur v. 13. Jacob esse dilectum et Esau odio habitum, antequam quidquam boni vel mali egissent, sed quod posteri Jacob gratuito electi sunt in populum Dei peculiarem prae posteris Esau, Apostolus ostendit ex historia utriusque populi, quae compendio comprehenditur in texto citato ex Mal. I. 3; 2°. Voluntas divina non miserendi Pharaonis sed ejus punitione sese glorificandi v. 17. est voluntas consequens ad Pharaonis perviciaciam in peccato, ut manifesto patet collatis tum v. 22. tum potissimum Sap. capitibus XI. XII; 3.° Induratio v. 18. non est ex antecedente Dei voluntate, sed consequitur culpa hominis occasione operum Dei con-

tra voluntatem legislatoris, non tamen sine permissione Dei, quod ex modo ipso, quo in libro Exodi Pharaonis induratio narratur, clarum est; 4.° Scopus comparationis v. 20-22 non est illustratio modi, quo se habeat hominis voluntas sub operatione gratiae, sed declaratio quod sicut in massa luti nulla est exigentia postulans artem figuli, ita peccatori nullum ius est ad misericordiam, gratiam fidei, et iustificationis.

DE AUGUSTISSIMO SANCTAE TRINITATIS MYSTERIO

DE SINGULARITATE NATURAE IN TRIBUS PERSONIS REALITER INTER SE DISTINCTIS

LXXV

Quo loco fides in augustissimam Trinitatem apud omnes, qui non vano nomine Christianos se profiterentur, habita semper et habenda sit, apposite declaratur Tertulliani verbis: « hanc videlicet regulam esse fidei, quae apud nos nullas habet quaestiones, nisi quas haereses inferunt et quae haereticos faciunt, immo hoc esse opus Evangelii, hanc substantiam novi Testamenti, quod exinde Pater et Filius et Spiritus Sanctus tres crediti unum Deum sistunt. » (1)

(1) De praescript. c. 12. contra Praxeam c. 31.

LXXVI

Imprimis igitur *unum esse Deum* in revelatione veteris et novi Testamenti manifestum est ita, ut *a)* doctrina quaevis et quaevis doctrinae enuformatio, ex qua duos tresve Deos esse consequens foret, praedamnata et absque ulteriore examine damnanda in ipsis sacris Scripturis pronuntiatur; ut *b)* profectus revelationis, qui in veteri Testamento promittitur, quoad hoc doctrinae caput non alio pertinere potuerit, nisi ad confirmationem eiusdem fidei in unum Deum, quae foret diffusione *amplior* et explicatione *distinctior*.

LXXVII

Distinctior haec explicatio ab ipso Christo Domino proposita ad hanc summam revocatur, ut Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus tres distincti invicem, non tamen tres Dii sed unus Deus credantur. Haec enim trinm distinctio, qui unus Deus sunt, tum aliis pluribus Scripturarum documentis tum iis summatim comprehenditur verbis, quibus Salvator veluti fidei compendium ac symbolum omnium initiandorum complexus est Math. XXVIII 19. coll. Io X. 30; XVI 13-15, Math. III. 16 17.

LXXVIII

Quae sit trium et unitas et distinctio, diserte declararunt Patres trium primorum saeculorum, quando dogma catholicum adversus haereses fidei Ecclesiae inimicas et sibi invicem oppositas propugnandum susceperunt Nominatim vero appellamus ad disputationem S. Irenaei adversus Gnosticos, S. Hippolyti adversus Noëtum, et Tertulliani adversus Praxeam, atque ad doctrinam Romanorum

Pontificum SS. Callisti et Dionysii, qui Sabellium eiusque discipulos damnaverunt. Partim enim ex iis quae in haereticorum doctrina probant, partim ex iis quae in ea damnant, manifestum est, tertio saeculo fidem traditam in omnimodam Dei unitatem, realemque distinctionem trium, qui Deus sunt, in universa Ecclesia viguisse.

LXXIX

Neque vocabula, quibus aliqui ex vetustis bis doctoribus dogma Catholicum quandoque declarant, insolentiora, huiusmodi sunt, quae cum dogmatis explicatione a subsequentibus Patribus proposita non facile concilientur. Quod igitur Tertullianus Filio et Spiritui Sancto portionis et moduli, Patri vero plenitudinis et massae vocabula adscripsit, quod Hippolytus Patrem dixit τὸ πᾶν ex quo ἐνέργεια est Verbum, quod alii solum Patrem natura invisibilem, alii Verbum ad huius universi creationem editum esse docuerunt; non ideo censendi sunt Filium Patri aequalem et cum Patre unum Deum negasse.

LXXX

Quum autem quo Pater, Filius, et Spiritus Sanctus Deus sunt, non sane aliquid relativum sit et habens se ad alterum, sed sit omnis perfectio absoluta ac citra habitudinem ad alterum; illud vero quo Pater formaliter Pater est, quo Filius formaliter est Filius, quo procedens Spiritus Sanctus formaliter est spiratus, sit relatio originis unius ad alterum: manifestum est, quidquid in tribus est absolutum, tam esse unum, quam unus est Deus, illud vero, quo invicem distinguuntur, quodque non est tribus commune sed singulis proprium, esse relativum

LXXXI.

Rursum, cum quod absolutum est, unum, tribusque commune, nomine aptissimo et auctoritate irrefragabili consecrato natura dicatur, substantia sive essentia, tres autem distincti, quorum est natura, sint appellentarque personae, evidens est, conceptum divinae personae complexum esse, quo nec sola *per se* natura nec sola relatio verum relatio exhibeatur, quatenus intelligitur naturam velut afficiens constituere personam, ita ut nomina personalia in Divinis significent quod est relativum, et adsignificent quod est absolutum.

LXXXII.

Nomen igitur *persona* licet *ex modo significandi* non exprimat relationem, in divinis tamen significat *relativum*, et personae divinae relationibus constituuntur.

LXXXIII.

Cum persona divina realiter sit ipsa substantia divina, quatenus sub formali ratione *relativi* non est communis pluribus sicut natura, sed in se est incommunicabilis ut hic unus subsistens distinctus ab altero ejusdem naturae; ideo vulgata Boethiana definitio « rationalis naturae individua substantia » analogice sub se comprehendere potest etiam personas divinas, dummodo praedicatum *individua substantia* rite explicetur.

LXXXIV.

Iam vero, si una ac eadem est trium personarum natura ac substantia, eae consubstantiales credantur necesse est, suoque iure Nicaena synodus definivit, Filium esse Patri consubstantialem. Porro licet ea non sit vocis

ὁμοουσίου significatio, quae per se naturae singularitatem designet, sed per se naturae solum diversitatem excludat, attamen, si nomen idem ad Divinam Trinitatem refertur, non modo substantiae diversitatem excludit, verum etiam eiusdem singularitatem demonstrat.

LXXXV.

Non aliam nisi unitatem omnimodae singularitatis a Nicaenis Patribus definitam et ab insequentibus Nicaeni Concilii defensoribus propugnatam fuisse, luce clarius demonstrant, praeter caetera, ipsa symboli Nicaeni historia ab Athanasio descripta, ratio disputationis, quo Ariani τὸ ὁμοούσιον impugnabant, atque imprimis ratio defensionis, qua SS. Patres ejusdem vocis sensum et declarabant et vindicabant, controversia denique inter ipsos catholicos post Nicaenum Concilium exorta de vocibus, quibus et naturae unitas et personarum distinctio exprimeretur, quae praeeunte S. Athanasio in Alexandrino Concilio composita est. Ferri ergo omnino non potest sive Socinianorum et Arminianorum calumnia, qui Nicaenos Patres in tritheismi crimen olim vocabant, sive recens commentum asserentium, definitum necdum esse ab Ecclesia catholica, divinae naturae unitas » sitne *numerico realis an dynamica* ».

LXXXVI.

Nec ideo Patres IV. saeculi secus statuisse existimandi sunt, quod eorum aliqui interque hos maxime Gregorius Nyssenus in libello ad Ablavium unitatem divinae naturae in tribus personis ex unitate, quae est inter plures homines, illustrare visi sunt. Gravissime vero erravit, qui hac aetate nostra scripsit, SS Basilium et Gregorium Nazianzenum doctrinam de unitate specifica trium personarum in Ecclesiam Orientis invexisse.

LXXXVII.

Cum naturae singularitate doctrina cohaeret de perfectissima singularitate operationum, quae ad terminum a Deo distinctum referuntur quaeque operationes ad extra dici soleat, ita ut alterutro doctrinae capite, ut decet, asserto vindicatum sit et alterum, et vicissim uno negato alterum quoque in discrimen vocatum censeri debeat.

LXXXVIII.

Quamvis vero haec ita sint, negari tamen non debet, aliqua quae tribus personis communia sunt non secus ac communis est ipsa natura, rite uni personae adscribi, ac si eius essent propria. Id enim fit appropriationis lege, quae ex ipsis personarum propriis characteribus repetitur et Scripturae traditionisque auctoritate comprobatur.

LXXXIX

Ex iis ipsis quae de unitate Dei ac de personarum distinctione profitemur, et praeterea disertis Scripturarum traditionisque testimoniis edocemur, divinae Trinitatis hypostases sibi mutuo inexistere et secum ipsis cohaerere nexu περιχωρήσεως sive circumincessionis, cuius formalis ratio non ex immensitate, prout haec virtualem quandam ad locum habitudinem dicit, sed ex unitate substantiae repetenda est. Errant ergo, qui ex personarum Trinitate consequens esse comminiscuntur, ut in Deo « spatium absolutum » sit admittendum.

XC

Seposita significatione nominis, qua Deum appellamus Patrem ex relationibus creaturarum ad ipsum, constat ex Scripturis ceterisque revelationis monumentis, primam SS. Trinitatis personam esse dicique Patrem sensu proprio, quod vera generatione per communicationem naturae Filium ab aeterno genuit.

XCI

Si impositio nominis *Pater* spectetur, prius illud a nobis de creaturis et *analogice* de Deo-Patre dici ac intelligi concedendum est; si vero *rei significatae* ratio habeatur, Deus primo et solus tota significationis plenitudine Pater est et dicitur, creati sunt patres *analogice*, cum in Deo sit omnis paternitatis perfectio seclusa quavis imperfectione, in creaturis perfectionis sit aliqua participatio multiplici imperfectione circumscripta.

XCII

Licet SS. Doctores adversus haereticos frequentissime contendant obtineantque, nomina hypostatica *Ingeniti* et *Patris* non secundum essentiam et naturam dici, sed secundum relationem, non uno tamen sensu ex eorumdem Sanctorum doctrina prima Trinitatis persona *essentialiter et naturaliter, secundum essentiam et naturam, ex ipsa sua essentia et natura* Pater unigeniti appellari potest et debet.

XCIII

Quod apud vetustos Ecclesiae Doctores non raro legitur, Patrem nisi ab aeterno Verbum genuisset, futurum fuisse ἄλογον, rationis et sapientiae expertem, non eo spectat, ut iuxta Sabelliana placita Verbum hypostaticum cum divina sapientia absoluta confundatur, sed eo pertinet, ut ex intestina generationis ratione eiusdem et necessitas et aeternitas ob oculos ponatur.

DE PERSONA DEI FILII

XCIV

Nomina ipsa, quibus secunda persona divina in ss. litteris exhibetur, genuinam rationem divinae generationis praeclare demonstrant. Speciatim vero nomina ceteris solemniora *Filius unigenitus* ac *Verbum* ita invicem se collustrant et complent, ut unum, quod alterutri ex creaturis, unde tralata sunt, adhaerescit imperfectionis, corrigere nos doceat ac velut abstergere.

XCV

Quemadmodum ii ex SS. Patribus, qui Verbum modo *insitum* modo *prolatitium* appellabant, prae oculis habuisse censendi sunt nunc magis personarum *circumincessionem* et unitatem naturae, nunc potius habitudinem ad ea quae *extra* sunt et personalis distinctionis manifestationem, ita eosdem catholicos Doctores ab illa sententia, qua haeretici complures Verbum insitum et Verbum prolatitium fingebant, alienissimos fuisse demonstratur.

XCVI

Praeter Patrem et Filium tertia credi debet hypostasis ab utroque distincta, quae nominibus Spiritus, Spiritus Sanctus, Paraclitus in Scripturis ac Christianae traditionis monumentis appellatur. Est autem Spiritus Sanctus vere Deus et cum Patre et Filio conglorificandus.

XCVII

Tessera quidem est Spiritus Sancti, ut ad Patrem tamquam ad sui principium referatur, sed errant summopere Photiani, quum rationem principii prae Spiritu Sancto ita Patri vindicant, ut Filium eadem exspolient. Spiritum enim Sanctum ex Patre Filioque procedere, non latinorum modo Patrum, quorum ceteroquin auctoritas etiam apud Graecos sancta semper fuit et esse debet, sed ipsorum Patrum graecorum *disertis testimoniis* demonstratur.

XCVIII

Demonstratur praeterea, relationem Spiritus ad Filium ut ad sui principium a Patribus graecis distincte exhiberi iisdem nominibus locutionibusque paene omnibus, quibus relationem Filii ad Patrem tum Scripturae tum Patres ipsimet declarant, si ea sola nomina excipias, quibus peculiaris *Filiationis* ratio unice designatur.

XCIX

Eadem Graecorum Patrum sententia rursum validissime comprobatur ex doctrina, quam tradunt de ipsa processione Spiritus a Patre et de ratione, qua secunda et

qua tertia persona ad Patrem refleratur, nec non ex declarationibus, quibus trium personarum ordinem divinitus traditum collustrant

C

Quando SS. Patres docent, Spiritum Sanctum procedere a Patre *principaliter*, procedere a Patre *per eum qui est proxime ex Patre*, procedere a Patre *interposito Filio*, procedere ex Patre *per Filium*, non processionem Spiritus a Filio in dubium revocant, nec aliam processionem a Patre aliam a Filio duplexve Spiritus principium inducunt, sed Filii a solo Patre et Spiritus Sancti ab utroque tamquam ab uno principio originem demonstrant.

DE DEO CREATORE

DE CREATIONE GENERATIM

CI

Creatio, seu productio rerum omnium ex nihilo a Deo facta in tempore disertis Scripturarum et Traditionis testimoniis comprobatur.

CII

Tum in Bibliis tum in ecclesiastica Traditione creationis dogma proponitur non modo ut speculativa veritas eaque fide credenda, sed ut praecipuum religionis fundamentum, quo multiplices Creatorem inter ac creaturam relationes innituntur: quod quidem Christiana etiam ratio perspicit si penitius perpendat, quid sit creatorem habere Deum, quid esse creaturam.

CIII

Causa creationis efficiens per appropriationem dicitur Deus Pater D. N. I. C. simulque dicitur creare per Filium in Spiritu Sancto: at reipsa una est creationis causa unus Deus, Pater Filius et Spiritus Sanctus: solus vero Deus ita est creator, ut causa etiam quaevis instrumentalis ab opere creationis excludatur.

CIV

Sempiterna est ipsa actio creatrix, per se immanens, virtute transiens: sempiterna etiam est causa exemplaris; atque ideo temporaneae creaturae, quantum ad rationem ut aiunt facientis, per quam et secundum quam fierent, antequam fierent ex nihilo, dicuntur ab aeterno in Deo extitisse.

CV

Deus liberrime mundum quem voluit et quando voluit creavit: novae autem quaedam theoriae de creationis necessitate ex germanicae philosophiae systematibus deductae iamdiu a scholasticis praeoccupatae sunt vel certe ex eorum principiis facile refelluntur.

CVI

Mundi pulchritudo et perfectio in Sacris Litteris, a Sanctis Patribus et in dies magis magisque a philosophis ita exponitur, ut omnem superet hominis captum, neque tamen divinam virtutem exaequet: unde etiam multiplici ex capite mundus dici optimus potest, et Dei opera vel minimum carpere insanum est: at simul exiguae mentis est absolutum illum in creatis rebus imaginari optimismum, qui divinae virtuti libertatique adversatur.

CVII

Mundum Deus creavit quia voluit, neque ulla est aut esse potest eius voluntati causa proprie finalis operandi: at merito finis operantis seu ratio creationis dicitur Dei bonitas; finis vero operis bonum est, extra Deum, omnium maximum, Dei ipsius simulque creaturae bonum, externa scilicet Dei gloria

CVIII

Ex eo quod ultimus mundi finis sit necessario Dei gloria, non sequitur vel Deum creaturas non diligere amore benevolentiae vel propter eas earumque gratia non agere: imo vero Creatoris amor in creatione maxime elucet amoremque creaturae violenter expostulat. nominatim constat directis argumentis, hanc potissimum terram *proxime* creatam dici posse ac debere propter hominem ac ut eum ad Dei cognitionem amoremque atque ad finem ultimum ducat

CIX

Creatione ordo naturae constituitur, qui per se esse posset sine gratia; at simul ac supernaturalis ordo divinitus est decretus, natura est propter gratiam et gratia propter gloriam, unusque exsurgit ordo compositus, atque adeo quod Tridentinum Concilium (*sess. VI*) inquit nominatim de iustificatione, eius finalem causam esse *gloriam Dei et Christi et vitam aeternam*, id generatim de universo, multiplici simul atque uno, ordine elevatae creationis dici merito potest.

CX

Quod Christi gloria sit creationis totius causa finalis manifestum est in ea quorumdam theologorum sententia qui putant Incarnationem etiam sine Adae peccato futuram fuisse: sed in alia etiam sententia facile intelligitur quod simul ac praeviso Adae peccato ab aeterno decretum est ut Filius Dei filius fieret Mariae Virginis, eo ipso non solum ordo reparatae naturae, sed etiam naturalis ac supernaturalis ordo universim ad Christum referri debeat; adeoque in utraque hypothesi Christus centrum est quodammodo creationis totius, primogenitus omnis creaturae, Ipse A et Ω, Ipse exemplar ac finis visibilium ac invisibilium, Angelicae humanaeque ac cuiuscumque alterius rationalis naturae, quae in universo mundi systemate vel exsistit vel forte sit exstitura.

DE PRIMITIVA HUMANAE NATURAE ELEVATIONE

CXI

Dogma catholicum est primum hominem in sanctitate et iustitia constitutum fuisse: simul etiam ut theologice certum haberi potest in ipso creationis instanti Deum fuisse humanae naturae conditorem simulque gratiae largitorem: cum iustitia autem et sanctitate ex Dei ordinatione intime coniuncta erant in Adam eximia tum animae tum corporis dona, integritas potissimum et immortalitas.

CXII

In statu originalis iustitiae constitutus est Adam non solum ut erat singularis persona sed potius prout erat protoparens seu principium naturae, quae tota in eo et per eum divino decreto elevata est et cum iis donis, prae-

cepti conditione servata, propaganda fuisset, atque adeo ex naturae et gratiae donis unus coaluit ordo elevatae naturae.

CXIII

Duplex distingui debet, pro duplici ordine, finalis in Dei cognitione beatitudo hominis; altera naturalis est; altera, visio scilicet quam theologi beatificam dicunt, est supernaturalis, ex Dei quidem ordinatione naturae debita, at per se indebita insonti etiam naturae in qua nulla est eius visionis exigentia sed passiva tantum capacitas et obedientialis ut aiunt potentia; atque ideo non modo supra naturae vires eius est assecutio, sed gratuita est ipsa etiam ad eam destinatio: neque vero lansenio favent scholastici dum docent hominem Dei visionem ut finem naturaliter appetere.

CXIV

Simili ratione duplex distingui debet Dei dilectio; quae vero dicitur theologica Dei dilectio et charitas ac gratia sanctificans per se supernaturalis est et gratuita atque ab insonti natura abesse potuisset quin ideo esset mala.

CXV

Indebita etiam fuerunt dona sanctificanti gratiae originaliter adnexa quae per se praeternaturalia dici possunt; immunitas potissimum a concupiscentia, a doloris lege et a morte, adeo ut sine hisce donis homo condi potuisset iis brevi probationis tempore obnoxius defectibus qui naturales sunt, licet mors, dolor, concupiscentia contra naturam esse aliquó sensu dicantur: gratuitis donis accenseri etiam debet scientiae infusio et primitiva revelatio.

CXVI

Status purae naturae, non quidem sensu rationalistico, sed sensu in catholicis scholis recepto, possibilis dicendus est non solum absoluta sed ordinata etiam potentia ac porro salva decentia quam vocant Creatoris, seu non obstantibus eius status innatis imperfectionibus Deus naturam in sua paupertate et infirmitate sine supernaturalibus donis relinquere potuisset, naturalis tantum ordinis auxiliis eidem providendo.

DE LAPSU HUMANAE NATURAE

CXVII

Non mythica sed historica est narratio Gen. III, ibique iuxta traditionalem sensum in protoparentum lapsu humanae naturae lapsus exhibetur per illud ineffabiliter grande peccatum quod *originale* vocari potest quo protoparentis persona totam vitiavit naturam.

CXVIII

Sacrae Litterae, potissimum Rom. V, aperte docent non solum mortem et poenas corporis, sed et peccatum quod mors est animae non imitatione sed propagatione in omne genus humanum transfundi

CXIX

Peccati originalis propagationem perpetua et constans docet, etiam ante exortam haeresim Pelagianam, Ecclesiae occidentalis et orientalis traditio, tum explicita praedicatione, tum praxi baptizandi infantes in remissionem peccatorum.

CXX

Peccati originalis propagatio argumentis etiam theologicis ex fidei analogia, humanae naturae primitiva elevatione supposita, demonstratur et probabilibus ex ratione ipsa argumentis suadetur: huiusmodi sunt partim demonstrativa, partim suasiva argumenta, quae ex concupiscentia, ex morte, ex huius vitae aerumnis, ex statu infantium tum in hac tum in altera vita Augustinus deducit: at horum argumentorum vim et naturam post Pascal nonnulli pervertunt.

CXXI

Doctrina de originali iustitia intelligentiam aperit dogmatis de peccato originali, quod generatim consistit in privatione originalis iustitiae ex Adae inobedientia, formaliter in gratiae sanctificantis privatione quae secum fert inferiorum animae virium totiusque naturae inordinationem ex dissolutione illius harmoniae in qua consistebat ratio originalis iustitiae: ipsa vero gratiae sanctificantis privatio rationem habet habitualis culpae, prout est aversio naturae a Deo seu permanens ex actu transeunte destitutio debitae ordinationis voluntatis ad Deum per charitatem.

CXXII

Ad veram propriamque intelligendam rationem peccati quod originale unum est et omnibus inest unicuique proprium propagatione transfusum necessaria est relatio ad liberam voluntatem et actum capitis seu principii naturae, scilicet Adae, qui est auctor peccati naturae; ex qua relatione ad liberam Adae voluntatem refellitur haeresis quae verum esse docet peccatum licet omnino necessarium.

CXXIII

Ut *necessaria* ita etiam *sufficiens* haberi debet ad culpae rationem ea relatio ad Adae voluntatem: hinc refellitur ea catholicorum quorumdam sententia quae peccatum, ut vere peccatum sit, formaliter statuendum esse docet in ipsa actuali Adae voluntate et inobedientia singulis imputata vel quae fingit in Adae voluntate ipsas etiam singulorum voluntates includi divino quodam pacto debuisse.

CXXIV

Peccatum naturae inductum per voluntatem principii naturae traduci recte intelligitur per ipsum actum naturae iam lapsae, scilicet per generationem concupiscentiae obnoxiam qua Adae posteri per ipsum dum concipiuntur propriam iniustitiam contrahunt, adeo ut quemadmodum originalis iustitia per generationem propagata fuisset, similiter per vitiatam generationem peccatum propagetur eo ipso quod ex semine Adae natura culpabiliter spoliata traducitur.

CXXV

Ad intelligendam scholasticorum doctrinam de peccati propagatione duplex cum iis processus peccati ex carne ad animam in generatione activa et ex anima ad carnem in passiva generatione distingui debet: qua facta distinctione conciliantur et explicantur eae diceudi formulae, concupiscentiam antecedenter esse causam instrumentalem, concomitanter quasi materiam seu materialem causam peccati, simulque subsequenter esse peccati effectum et poenam: quamvis autem concupiscentia peccatum dicatur, quia a peccato est et ad peccatum inclinat, non habet tamen formalem rationem originalis peccati.

CXXVI

Volnera quae dicuntur naturae, utpote contraria naturali ordinationi ad virtutem, ignorantia scilicet, ad malum pronitas, carnis concupiscentia et infirmitas, intelligi debent in natura lapsa non quidem per adiectam formam inclinantem ad malum sed per remotionem prohibentis, scilicet originalis iustitiae.

CXXVII

Status naturae lapsae licet per se materialiter non differat, formaliter tamen a statu possibili purae naturae maxime differt ratione tum poenae tum potissimum culpae: hoc certe sensu iure dicitur imminutum bonum naturae seu naturae aptitudo ad gratiam quatenus natura lapsa et spoliata ex non digna facta est indigna gratuitis donis quae non modo non debet habere sed ob peccati obstaculum debet non habere: hinc etiam possibilis purae naturae status iure dicitur ordo, at status lapsae naturae non ordo est sed inordinatio, et primitivae ideae atque unius illius ordinis quem Deus constituit, elevatae scilicet naturae, Deo invisa corruptio et perversio.

CXXVIII

Aeterna est damnatio quae peccato originali debetur, privatio scilicet visionis beatificae; aliquam praeterea sensus poenam deberi nullo modo demonstratur: communis vero sententia de puerorum limbo cum fabula Pelagiana de vita aeterna a regno caelorum distincta male confunditur: denique quicumque sit finalis infantium status, licet a finali statu in possibili pura natura materialiter non differret, formaliter tamen iuxta ea quae superius dicta sunt maxime differt ratione tum poenae tum potissimum culpae.

CXXIX

Quid de lapso hominum genere misere futurum fuisset sine Christi reparatione eounci vix potest: refelli tamen possunt ex fidei analogia quorumdam eoniecturae Pelagianis vel Iansenisnis erroribus affines: at ex divina misericordia lapsae naturae *copiose* adfuit redemptio, quemadmodum ex eodem Pauli testimonio Rom. V. ubi antithesis fit inter veterem novumque Adam inter delictum et donum, et ex Patrum commentariis in eum praesertim locum, et ex iis quae de novo Adam novaque Heva praedicant, manifestum est.

DE VERBO INCARNATO

DE DIVINITATE PERSONAE QUAE MANIFESTATA EST IN CARNE

CXXX

Ex Scripturarum doctrina plane evidens est, Iesum Christum, quem ut Filium hominis in tempore natum et in terris conversatum esse nunc sumimus, non merum hominem esse, sed dignitatis atque naturae alienius, quavis sive humana sive angelica longe praestantioris, eumdemque secundum hanc naturam sublimiorem temporariae suae nativitati, immo mundi huius creationi praeextitisse.

CXXXI

Quamvis significatio nominum *Filius Dei* et *Deus*, quibus Iesus Christus in Scripturis appellatur, non ita sit

determinata, ut numquam improprie et analogice usorpari possint affirmamus tamen, 1.° in universis Scriptoris praeter unum Iesum Christum nullam aliam personam *singularem* et *definitam* ex propria Sacrorum Scriptorum sententia umquam appellari *Filium Dei*, nisi fortasse ratione typi, quem gerat ipsius Iesu Christi; affirmamus 2.° nomen *Dei* praeter unum Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum nemini umquam in numero singulari a Sacris Scripturis adtribui simpliciter et sine expressa restrictione.

CXXXII

Eadem argumenta, quibos Deus in veteri Testamento sese revelavit et per suos prophetas demonstravit unum verum Deum, in libris novi Testamenti exhibentur, quibus Christus se et ipse et per suos Apostolos revelavit verum Deum; nominatim vero ipse est ex Scripturarum novi Testamenti doctrina 1.° huius universi mutabilis et temporarii aeternus et immutabilis creator in ordine naturali, 2.° donorum gratiae et vitae aeternae auctor in ordine supernaturali, 3.° suprema potestate magister, legislator, et iudex, is denique 4.° cui supremum fidei spei, et charitatis obsequium, atque divinus adorationis cultus in coelo et in terra debeatur. Hinc 5.° Christus in libris novi Testamenti diserte exhibetur esse idem ille Dens, qui in veteri Testamento ut supremum Dominum nomine creaturis incommunicabili יהוה se revelavit.

CXXXIII

Est ergo Christus et diserte in Scripturis praedicatur *Deus*, *Deus magnus*, *Deus verus*, *Deus super omnia benedictus in saecula*; postrema enim haec doxologia, quae Rom. IX 5 legitur, sine dubio ad Christum referenda est.

CXXXIV.

Unde non potuerunt quidam *critici* nisi temere huius loci lectionem illam, quae post verba κατὰ σάρκα punctum figit, in textum recipere. Quae in re eum auctoritate potissimum nitamur Patrum veterumque scriptorum, asserimus 1.° manifesto mendacii Wetsteinum et errore deceptos Griesbachium et Scholzium appellare « ad multos Patres », qui Pauli doxologiam non ad Christum sed ad Deum Patrem retulerint, 2.° falsum esse, quod Münscherus scribit, Tertullianum omnium primum fuisse qui legerit, ut legendum esse affirmamus, 3.° deceptum esse virum doctissimum, qui scripsit recentissime, quamvis viderint Patres vetustissimi doxologiam Rom. IX. 5 ad Christum pertinere, « recentiores tamen Origenem, Athanasium, Basilium, Gregorium Nyssenum ab ea sententia penitus discessisse, quo efficacius Patripassianis occurrerent »

CXXXV

Singula doctrinae capita de Iesu Christo vero Deo Deique Filio, quibus velut lucis radiis Scripturae universae splendent, in unum quodammodo collecta verticem conspiciuntur Ioannis I 1-18. Hoc enim loco is, qui in tempore caro factus est, docetur esse Deus, Deus aeternus, Deus creator universi, Deus auctor omnis gratiae, Deus cui supremus cultus debeatur; qui nihilo tamen minus a Deo Patre distinctus, et a Deo Patre genitus sub duplici schemate Verbi et unigeniti Filii exhibetur.

CXXXVI

Iesum Christum verum Deum et verum hominem, unum esse subiectum ut non alius sit et alius, sed unus atque idem Deus et homo, sacrae Scripturae luculentissime tradunt velut fundamentum et principium religionis christianae.

CXXXVII

Hanc substantivam unitatem Christi Dei hominis in totius orbis catholici solemni et perpetua professione fuisse inde ab Apostolis usque ad damnatam duplicem capitalem haeresim Nestorii et Eutychetis, demonstrant *a)* symbola omnia tum per se inspecta, tum *b)* inspecto sensu, quo ea ubique terrarum quoad hoc doctrinae caput intellecta fuisse Patres vetustissimi testantur, tum *c)* habita ratione modi, quo Patres subsequentes adversus haereticos ad eadem symbola appellabant; demonstrant rursum eandem fidem universalem *d)* ipsae difficultates a Iudaeis et Gentilibus dogmati catholico oppositae, Patrum responsionibus una collatis; et demonstrant *e)* Martyrum confessiones coram tyrannis editae.

CXXXVIII

Patrum, qui a primo usque ad quartum saeculum floruerunt, explicationes distinctius rationem unitatis Christi nos docent, quando declarant, *a)* unitatem et distinctionem, quae est in Christo, collatam cum unitate et distinctione, quae est in SS. Trinitate, ordine quodammodo inverso se habere; *b)* ipsum Verbum esse factum hominem eo quod naturam humanam *in se transplasmavit, suam eam fecit sibique propriam*; hinc *c)* unius et eiusdem esse attributa omnia tam divinae quam humanae naturae.

CXXXIX

Ad formulas ipsas quod attinet, quibus Patres hanc unitatem in Scripturis et perpetua universalique traditione propositam complecti solebant, sicut fatemur, formulam qua dicitur unio facta *in hypostasi* vel *secundum hypostasim*, ante saeculum quintum solemni definitione vel communi usu Ecclesiastico consecratam non fuisse; ita affirmamus, formulas aequipollentes a Patribus vetustioribus frequentari atque hanc ipsam apud eosdem non penitus desiderari.

CXL

Quatenus igitur Christus unus est, dicitur et est una hypostasis sive persona; ea vero, quibus ipse unus Christus tum Deus est tum homo, dicuntur et sunt duae ejusdem naturae, altera divina altera humana.

DE PROPRIA RATIONE HYPOSTASEOS

CXLI

Tum ex ipsa rei natura, tum ex historia dogmatum et Patrum disputationibus conficitur, philosophiam in constituendis ac declarandis notionibus, quae nominibus substantiae, naturae, hypostasis, personae designantur, plenam independentiam a Theologiae sanctionibus et autonomiam absolutam, nisi temere sibi vindicare non posse.

CXLII

Si cum iis, quae de Deo Uno et Trino et de Verbo incarnato ex revelatione constant, conferamus conceptum

rationalem, quem ex consideratione creaturarum de hypostasi habemus; hypostasis intelligitur esse id quod est perfectum in ratione substantiae seu existentiae in se ipso, adeoque hypostasis est *substantia singularis, integra, tota in se*, ut non sit alterius totius et perfecti in se nec communis pluribus inter se distinctis. (1).

CXLIII

Ex praecedentibus inferendo colligimus, *a)* modum subsistendi (*τρόπον τῆς ὑπάρξεως*), quem Sancti Patres et vetustiores scholastici naturam afficere eamque afficiendo hypostasim constituere docent, et quem scholastici paulo recentiores subsistentiam (abstracte sumptam) appellant, esse ipsam quam dicimus totius in se, et ultimi subiecti rationem; *b)* quod aiunt Patres modo subsistendi circumscribi communem naturam, nihil aliud sibi velle, quam quod hypostasis non est natura communis pluribus, sed substantia singularis et tota in se subsistens nec ultra progressa et communicata pluribus, *c)* hypostasim utpote ipsum totum, esse illud quod agit, quod habet, quod generatim est subiectum omnium attributionum (principium quod), naturam vero, utpote conceptam per modum formae, esse ipsam quae dicitur inesse et haberi et qua hypostasis agit (principium quo).

CXLIV

Declarata hypostaseos generatim spectatae notio ad formalem rationem *personae* imprimis pertinet, differentia autem velut specifica huius ab illa in dignitate constat

(1) Vide Claudium Tiphanum in libro inscripto « Declaratio ac defensio scholasticae doctrinae SS. Patrum Doctorisque Angelici de hypostasi et persona » cc 10 et seqq.

naturae; quare sine dubio errant, qui aetate nostra substantiam quamvis, *dignitate naturae intellectualis* vel etiam *actuali conscientia sui* formaliter personam constitui definiunt.

CXLV

Proposita hypostasis et personae notio praeclare componitur cum vulgata Boethii definitione, qua persona dicitur *rationalis naturae individua substantia*; ad eandem vero exigi debent definitiones aliae, quibus formalis ratio hypostaseos fertur esse *substantiae ultimus terminus*, *substantiae ultimum complementum*, *substantiae incommunicabilitas* vel, ut Doctori subtili placuit, *negatio dependentiae actualis et aptitudinalis*; posteriores enim enuntiationes licet negantes esse videantur, rationem hypostaseos *positivam* non negant sed eam declarant, et ad affirmationes perfectionis tandem revocantur.

CXLVI

Quod Patres scriptoresque Ecclesiastici non raro affirmant, hypostasim esse *substantiam cum accidentibus*, non quidem ita accipi potest, acsi accidentia formaliter hypostasim constituerent; neque tamen deest ratio, qua illa definitio vindicetur.

CXLVII

Illud quo substantia quaevis *connaturaliter* in formali perfectione hypostaseos constituta intelligitur, non est res aliqua ab ipsa illa substantia distincta, sed est modus quo substantia se habet, non re *sed ratione* ab ea distinctus.

CXLVIII

Ceterum licet pro certa aliqua naturae et hypostasis consideratione, quae apud S. Thomam ipsosque SS. Patres non est infrequens, hypostasim a natura in creatis non solum ratione sed etiam re differre affirmari possit, constans nihilominus est Angelici non secus ac SS. Patrum doctrina, causam cur humana Christi natura non sit per se hypostasis, non inde repetendam esse, quod illi rei alienius perfectionisve defectu ratio *totius* et hypostaseos desit, sed inde solum, quod per substantialem unionem facta natura Verbi a ratione *totius imperfecti* et *hypostaseos humanae* exempta sit.

CXLIX

Ex dictis consequitur quidem. nihil esse cur negetur sententia, quam B. Albertus Magnus, S. Thomas (1) aliique scholae Magistri concedunt ita propositam: « si Christus deponeret humanitatem, id quod deponeret, erit substantia rationalis naturae adeoque persona »; at non solum non consequitur, humanam Christi naturam licet integram ac perfectam esse etiam per se hypostasim, sed potius manifesto demonstratur veritas doctrinae SS. Patrum, « fieri non posse ut hypostasis hypostasi secundum hypostasim uniatur », et convincitur absurdum recentius commentum, quo Christi hypostasis una dicitur esse composita ex duabus hypostasibus divina et humana utraque in sua propria personalitate permanente.

(1) Albert. in 3. dist. 5. a. 12. S. Th. in 3. dist. 5. q. 3. a. 3. ad 3; dist. 6. q. 1. a. 2. ad 5, de Incarn. Verbi a. 2. ad 10.

CL

Rursum ex propositis infertur, verum esse quod affirmant SS. Patres, dogma catholicum rite explicari ac defendi non posse nisi ratum sit, « aliud esse substantiam aliud hypostasim non tamquam rem aliam et aliam, sed quod aliud significet substantia aliud hypostasis » (1)

CAPITA DOCTRINAE PROXIME NEXA
CUM UNITATE PERSONAE SUBSISTENTIS IN DUABUS NATURIS

CLI

Quamvis eum SS. Patribus mysterium fateamur « ineffabile, mente et ratione et intellectione humana praestantius », quomodo persona divina manens quod erat, facta sit quod non erat, certissimis tamen ex principiis assequimur, mutationem omnem sistere in sola natura assumpta.

CLII

Doctrinae capitibus de personae divinae immutabilitate, de formali ratione hypostaseos, eiusque a natura distinctione simul collatis, confirmamus propriisque argumentis vindicamus, a) Verbum non secundum quod est divina natura et essentia, verum secundum formalem rationem hypostaseos ipsi propriam, unitum esse humanae naturae, ita ut cum SS. Patribus « non Deus Verbum per divinam naturam, sed divina natura per Dei Verbi per-

(1) Dialog. I. de Trin. inter opp. Theodoret. T. v. p. 933 ed. Schulze; Theodorus Abucara opusc. 28 p. 500 ed. Gretzer.

sonam unita dicatur carni» (1); imo *b)* veram et substantialem unionem cum divina natura secundum eius formalem rationem tam repugnare quam repugnat tota monophysitarum haeresis; ideo *c)* errasse turpissime veteres haereticos monophysitas et errare recentiores quosdam, cum comparatione unionis animae et corporis apud Patres frequentissima abutentes, alii unionem hypostaticam Verbi cum humana natura perverterunt, alii unionem animae cum corpore mere hypostaticam esse docent.

CLIII

Quare nec humana natura dici potest esse *forma* Verbi, vel eius hypostasim complere, nec Verbum proprio sensu *informat* humanam naturam, quamvis humana natura *forma* servi dicatur ab Apostolo, et Verbi unio analogice ad *causam formalem* et velut *informationem* possit comparari.

CLIV

Ex dictis etiam apparet, non modo factam non esse, sed nec fieri potuisse talem unionem hypostaticam, ut incarnata una persona sit consequens, incarnatam esse Trinitatem; incarnatio ergo spectata formaliter propria est Filii, licet eadem efficienter opus sit Dei unius et trini.

CLV

Declarandae immutabilitati et unitati hypostaseos divinae, etiam dum est cum carne sua, ita ut natura humana non per se hypostasis, sed accessionis instar in Verbo

(1) Rusticus diacon. contra Acephalos Galland XII p. 56

subsistens intelligatur, apprime idonea censeri debet formula a S. Cyrillo ceterisque deinceps Patribus frequentata, qua Christus dicitur « una natura Verbi incarnata; una natura Filii, sed incarnata; una natura Filii, utpote unius, verum inhumanati et incarnati; unus Filius et una eius natura, licet factus est in assumptione carnis intelligentem animam habentis » (1).

CLVI

Quamvis Verbi hypostasis in se sit simplicissima, hoc tamen non impedit, quominus « orthodoxi unam asseverent Christi hypostasim compositam » (2); ad modum enim hunc dicendi quod spectat, is auctoritate Conciliorum et Patrum confirmatur: quod autem pertinet ad rem ipsam, *a)* non significatur compositio ex partibus sese mutuo perficientibus, neque *b)* compositio ex hypostasibus, verum *c)* significatur unitas hypostasis ex duabus et in duabus naturis *impermixte* et *indivulse* permanentibus, adeoque *d)* significatur idem ac quando dicitur unio Verbi et humanae naturae facta esse secundum hypostasim, vel quando hypostasis Verbi dicitur facta hypostasis humanae naturae.

CLVII

Ab unitate hypostasis ex duabus et in duabus naturis indivise et impermixte permanentibus pendet ea quae dici solet *idiomatum communicatio.* Haec enim *a) ontologice* ad illud revocatur principium, quod unius personae, sive

(1) S. Cyrillus epp. ad Successum I et II; ad Acacium; dialog. quod unus Christus et alibi.
(2) Dialog. I. de Trin. et Theodor. Abuc opusc. 2

ea Deus nominetur ex natura divina sive homo ex natura humana, utraque natura et utriusque naturae attributa sunt propria, ambae tamen naturae inconfusae manent; unde *b) in ordine praedicationis* respondente ordini rerum communicatio idiomatum ea est, ut *supposita unitione* de Deo Verbo affirmanda sint omnia, quae affirmantur de hoc homine, et vicissim de hoc homine affirmanda sint quae affirmantur de Deo Verbo, propter hypostasis unitatem; non tamen natura una naturaeve proprietates praedicentur de natura altera, propter naturarum diversitatem.

CLVIII

Cum ergo doctrina de communicatione idiomatum ipsum, quod in mysterio incarnationis rei caput est, complectatur, legitima vel praepostera idiomatum mutua praedicatio habenda et merito semper habita est a SS Patribus ceu tessera tutissima, ex qua haereses atque errores vix non omnes ab orthodoxa doctrina de Verbo incarnato secernantur.

CLIX

Christus, etiam ut *hic homo* est, non adoptivus sed naturalis Dei Filius credi debet, quod non aliunde consequitur, quam ex aeterna generatione personae, cui humanitas hypostatice unita est. Quare non consentiendum putamus iis theologis, qui rationes alias, cuiusmodi sunt sanctificatio velut connaturalis et ius ad haereditatem paternam, excogitarunt, propter quas vera censeri debeat propositio : « Christus in quantum homo est Filius Dei naturalis. »

CLX

Beata Virgo Maria proprie et veraciter est Dei genitrix (Θεοτόκος). Hanc autem veritatem in Scriptura et Traditione evidenter consignatam Patrumque suffragiis splendidissime illustratam et vindicatam Ecclesia sibi merito gratulatur, cum totius christologiae catholicae compendium eadem professione contineatur. Unde Ecclesia adversus Nestorii impietatem hanc τῆς Θεοτόκου praedicationem iure erexit velut vexillum orthodoxae fidei, ut Virgo *Mater Dei* ostenderet mortalibus *Filium hominem Deum.*

CLXI

Cum dogmate de duplici Christi natura integra et impermixta cohaeret dogma alterum, quo duplex eiusdem operatio duplexque voluntas divina et humana credenda est.

CLXII

Fuit Christus humana etiam voluntate plane *impeccabilis.* Huius autem ornamenti ratio non in eo solum consitui potest, quod Deus praeviderit Christum non peccaturum, ut recentiores quidam affirmare ausi sunt; sed illud ex aliis rationibus longe altioribus repeti debet, quae revocari possunt ad hanc unam, quod homo Christus est Deus.

CLXIII

Ex fidei catholicae praescripto asserenda est Christi ea humana libertas, quae meriti necessaria est conditio, quamvis ad fidem catholicam non pertineat modus ipse, quo haec proposita veritas cum aliis quibusdam doctrinae capitibus cohaereat apteque nectatur. Neque tamen dogma de libertate Christi cum ulla alia explorata doctrina pugnare demonstrari potest.

CLXIV

Facta distinctione inter rationem mediatoris *naturalis* et mediatoris *moralis*; homo Christus Iesus *a)* unus mediator naturalis est Dei et hominum ratione utriusque naturae divinae et humanae coniunctae in una hypostasi; *b)* ex eadem ratione ipse unus esse potuit et est mediator moralis merito et satisfactione adaequata.

CLXV

Quamvis naturalis mediator non esset, nisi in duabus et ex duabus subsisteret naturis, divina et humana, functiones tamen mediatoris divina persona efficienter non per divinam sed per humanam naturam adimplevit.

CLXVI

Pretium infinitum satisfactionis et meriti Christi ex ipsa divina mediatoris persona derivatur. Manifestus est igitur error eorum, qui nostro tempore iterum docuerunt, Christi divinitatem ad opus redemptionis nihil pertinere, nisi quod per eam Christus sistatur immunis ab omni peccato; caeterum vero quemvis hominem, ut aiunt, si aeque iustus ac Adam fuerat ante lapsum, ex genere Adami reperiri potuisset, non minus plenam Deo praestiturum fuisse satisfactionem quam Christum ipsum.

CLXVII

Censeri debet Christus pro humano genere Deo satisfecisse secundum *rigorem iustitiae*, cui satisfactionis rationi non obstant, quae vulgo commemorari solent, sive re-

pugnantia obligationis in Deo, sive unitas personae in Christo, sive debitum operum Christi ex aliis titulis, sive oblatio facta non pro se sed pro aliis.

DE GRATIA

DE GRATIAE NECESSITATE ET GRATUITATE

CLXVIII

Historice constat Pelagianos perversa notione elevationis ac lapsus humanae naturae absolutam necessitatem negasse gratiae supernaturalis interioris actualis, quae intellectum ac ipsam etiam voluntatem excitet atque adiuvet ad actus salutares.

CLXIX

Cum Augustino (quem potissimum ducem sequimur in catholica de gratia propugnanda doctrina) argumentis ex Scriptura et ex Traditione deductis atque a S. Doctore in controversiis Pelagiana evolutis tuemur, ad omnes et singulos actus salutares necessariam esse absolute necessitate interiorem Spiritus Sancti gratiam illustrationis et inspirationis.

CLXX

Ad talem tantamque huiusce gratiae necessitatem negandam vana sunt Pelagianorum effugia, scilicet eam non posse cum humana libertate consistere, gratiam esse naturam, *possibilitatem* boni salutaris in ipsa esse natura, *velle et agere* in arbitrio, atque ad *facilius* operandum adiutoria dari legis et doctrinae exemplorumque Christi ac remissionis peccatorum, tum vero arbitrium sibi prorsus sufficere.

CLXXI

Ipsis etiam iustis habituali gratia praeditis necessaria est iugiter ad pie agendum actualis gratia, quae praeparat voluntatem et praeparatam adiuvat et adiutam subsequitur.

CLXXII

Necessaria est gratia quae non solum obiective moraliter et mediate per intellectum, sed etiam subiective physice et immediate voluntatem moveat, atque huc potissimum spectant plures Augustini formulae dein a Novatoribus ad gratiam necessitantem significandam detortae.

CLXXIII

In praesenti statu lapsae naturae necessaria est gratia voluntatis non modo elevans actum, sed simul directe liberum arbitrium viribus attenuatum inclinatumque roborans et sanans ad pie iusteque vivendum; atque huc iterum spectant plures Augustini formulae pariter a Novatoribus ad haeresim de gratia necessitante tuendam pertractae.

CLXXIV

Historice constat Pelagianos virtutes gentilium ac maxime philosophorum, recentiorum Naturalistarum more, exaggerasse et Christianis poene aequasse virtutibus: simul etiam constat tum Novatores saec. XVI, tum Baium, Iansenium et Quesnellum ex opposito de lapsa natura systematice in oppositos Pelagianis errores circa infidelium, peccatorumque opera incidisse.

CLXXV

Inter extremos errores medii incedentes via tuemur hominem lapsum, sed malum maxime pronum atque *inclinationis* aequilibrio ad bonum malumque carentem, non posse universam legem adimplere sine gratia Christi (etiamsi a supernaturalitate salutaris actus praescindatur); posse tamen solis etiam arbitrii viribus aliquid moraliter boni facere eum generali quidem sed sine speciali Dei auxilio.

CLXXVI

Multo magis viribus gratiae per se medicinalis roboratus infidelis ante gratiam fidei opera moraliter honesta facere potest. Denuque naturali aliquo amore diligere; atque ideo non omnium infidelium opera sunt peccata nec philosophorum virtutes sunt vitia, sed si quae forte sint morales virtutes, eae sunt dona Dei per medicinalem gratiam, quae in praesenti ordine providentiae est gratia Christi.

CLXXVII

Fidelis, licet peccator, potest gratiae auxilio opera facere nedum moraliter honesta sed etiam supernaturalia, quibus se ad iustificationem disponat, tantum abest ut omnia peccatorum opera totidem sint peccata.

CLXXVIII

Doctrina itaque de duplici amore dominantis cupiditatis vel charitatis, sensu Novatorum intellecta, in se atque in suis principiis et consectariis falsa deprehenditur.

CLXXIX

Falsum est Augustinum in refellendis Pelagianis exaggerationibus falsisque theoriis de virtutibus infidelium in oppositas Novatorum sententias de operibus sine gratia sine fide ac sine theologica charitate factis deflexisse, ideoque plures hac de re Baii et Quesnelli propositiones, quae verbo tenus aliquam habent similitudinem cum Augustini effatis, damnari non potuisse, quin simul doctrina a S. Doctore contra Pelagianos propugnata damnaretur.

CLXXX

Historice constat Semipelagianos distinctione facta inter *opera* et *fidem*, quum de necessitate gratiae ad opera catholice sentirent, ad salutare fidei initium cum Pelagianis praevenientis gratiae interioris necessitatem negasse: qui quidem Semipelagianus error circa initium fidei et salutis error fuit systematicus cum pluribus erroribus connexus circa universam gratiae oeconomiam ac nominatim circa perseverantiam.

CLXXXI

Sine praeveniente Spiritus Sancti illuminatione et inspiratione non potest homo habere salutare initium fidei, adeoque *fides* ipsa, non secus ac *opera* salutaria, non est *praestita* a Deo sensu Pelagiano ut fides hominis, sed est *praedestinata* ut Dei donum.

CLXXXII

Iustus ipse non potest in fide atque in accepta iustitia usque ad finem perseverare sine speciali Dei auxilio, quod in serie et collectione consistit internarum externarumque actualium gratiarum quae iugiter ad vitandum peccatum et ad pie agendum requiruntur.

CLXXXIII

Finalis perseverantia magnum est Dei donum, quod a speciali auxilio iustis omnibus communi distinguitur, quod nulli naturae humanaeque voluntatis merito rependitur, quodqua huic, ex Dei misericordia confertur, illi iusto occultoque iudicio negatur: ut quam hic casurus morte praeripitur, ille licet pariter casurus diu vivere permittitur, quamvis utique ut bene vivat, nou autem ut male vivat ac male moriatur.

CLXXXIV

Ad finalem perseverantiam formaliter acceptam et quae mortem in gratia complectitur referuntur quaedam Augustini formulae, quae contra S. Doctoris mentem de efficienti gratia necessitante praepostere intellectae sunt.

CLXXXV

Historice constat Pelagianos docuisse gratiam secundum naturae merita rependi, et gratuitatem liberamque gratiae distributionem negasse, atque ad eam sententiam Semipelagianos vi systematis accessisse, ac *merita* etiam naturae conditionata finxisse quibus praevisis gratia rependeretur.

CLXXXVI

Gratia est omnino gratuita adeo ut nulla opera ordinis naturalis gratiam mereri possint, sed meritis malis potius praecedentibus gratiae collatio in secretissimam et benevolam ac misericordem Dei voluntatem tota refundatur: ad hanc porro significandam gratiae gratuitatem spectant celebres quaedam Augustini formulae et similitudines dein ad gratiam necessitantem praesertim a Quesnello perperam applicatae.

CLXXXVII

In statu naturae lapsae gratiae efficacia nullam infert homini necessitatem ita ut liberum arbitrium resistere et dissentire non possit si velit.

CLXXXVIII

In statu naturae lapsae datur gratia cui liberum arbitrium resistit et dissentit, seu gratia datur *vere* et *mere* sufficiens, quae perfectam quidem completam et relativam potentiam bene agendi tribuit, caret tamen effectu, et in vacuum recipitur.

CLXXXIX

Falsum est iuxta Augustinum hoc esse inter adiutorium statu Iapsaeque naturae discrimen quod gratia lapsae naturae irresistibili efficacia et indeclinabili ac insuperabili virtute voluntatem determinet: ac nominatim falsum est hoc significare Augustinum celebri facto discrimine inter adiutorium *sine quo non* et adiutorium *quo*: et hanc esse *clavim*, ut Calvinus et Iansenius contendunt, ad intelligendam Augustini de gratia doctrinam.

CXC

Falsa est et haeretica quarta Iansenii propositio: « Semipelagiani admittebant praevenientis gratiae interioris necessitatem ad singulos actus etiam ad initium fidei, et in hoc erant haeretici quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere vel obtemperare ».

CXCI

Falsum est voluntatem hominis lapsi bonum vel malum *semper* amplecti pro maiori indeliberata delectatione vel theologicae charitatis vel concupiscentiae, adeo ut alterutra sit ad agendum *necessaria*.

CXCII

Falsum est voluntatem hominis lapsi bonum vel malum *necessario* amplecti pro maiori indeliberata delectatione vel theologicae charitatis vel concupiscentiae adeo ut alterutra sit ad agendum *necessitans*.

CXCIII

Falsum est Iansenii doctrinam de duplici delectatione ipsam esse Augustini doctrinam, atque eam nominatim exprimi celebri S. Doctoris effato « Quod amplius nos delectat, secundum id operemur necesse est »

CXCIV

Historice constat in scholis catholicis circa gratiae efficaciam diversa agitata fuisse systemata, quae etiamnum salva fidei unitate et caritate sine ulla nota Semipelagianismi, Semicalvinismi ac Semiianseoismi defendi hbere possunt.

CXCV

Iuxta systema quod nos tuemur, distinctione facta inter efficaciam quam vocant *virtutis* et *connexionis*, omnis gratia ab *intrinseco* efficaciam habet *virtutis*, tum moralem quatenus ad opus bonum invitat ad quod datur, tum physicam, quatenus dat supernaturales vires. haec vero efficacia *virtutis* quae ex divina pendet omnipotentia, non est in omni gratia aequalis sed gradibus maxime differt.

CXCVI

Licet omnis gratia plus minusve efficaciam habeat *virtutis*, non omnis tamen efficaciam habet *connexionis*; at ea inefficacia non est in Deum refundenda et in gratiae naturam, sed unice in humanam voluntatem quae dum per vires eius gratiae, quae ad agendum efficaciam dedit *virtutis*, *vere* consentire et agere posset, potius per vires arbitrii dissentit et gratiae resistit, unde ea fit inefficax seu *mere* sufficiens.

CXCVII

Efficacia *connexionis* gratiae cum bono opere non pendet quidem a nuda voluntate ac si voluntas viribus suis aliquid adderet gratiae, quum potius gratia vires det efficacissimas voluntati quibus ipse actus elicitur; at utique *connexionis* efficacia pendet a voluntate per gratiam praeparata, quatenus per vires gratiae voluntas consentit, dum posset per vires arbitrii dissentire eamque ipsam gratiam per actum dissensus abiicere.

CXCVIII

Infallibilitas itaque *connexionis* gratiae efficacis cum bono opere non videtur adaequate repetenda ex efficacia *virtutis* et ex divina omnipotentia, sed *formaliter* ex divina praescientia quid voluntas a tali gratia praeventa et adiuta actura sit.

CXCIX

Singulare est prorsus Dei beneficium, quod Deus misericorditer ita hominem vocet quemadmodum scit ei congruere ut vocantem non respuat: *quare* vero hunc ita vocet, hunc non item, iustum est sed occultum iudicium; id utique novimus non esse ex defectu antecedentis salvificae voluntatis, vel ex defectu potentiae ad convertendas in bonum quascumque malas hominum voluntates.

CC

Quum non modo bene agendi facultas, sed ipse etiam bonus actus et consensus ac flexus voluntatis a gratia pendeat si fit, quippe qui est a voluntate non per se, sed per gratiam congrue praeparata ut fiat, pronum est colligere eum qui bene operatur nihil habere quod non acceperit, nec sese discernere, nec posse in se gloriari, sed utique in Domino gloriari debere ac gratias agere.

CCI

Haec ratio intelligendi gratiae efficaciam a pluribus Patribus disertis testimoniis et exemplis etiam ac similitudinibus illustrata consona est doctrinae S. Augustini, neque eidem opponuntur ea S. Doctoris effata quae aliis catholicis systematibus favere videntur.

CCII

Missis antiquioribus systematibus, recentius systema ut vocant *orationis*, quod docet omnibus dari sufficientem gratiam orandi quae sit efficax ab *extrinseco* et per hanc obtineri gratias non modo efficaces sed quae efficaces sint *ab intrinseco*, systema est cuius prima pars theologice probatur, at non item altera: imo vero haec logice debet atque facile potest iisdem argumentis cum priore componi. Ita porro temperatum systema doctrinam confirmat atque illustrat quam nos tuemur.

CCIII

Novatorum erroribus de iustificatione opponimus catholicam Tridentini doctrinam potissimum de iustificationis causa *finali*, *efficiente*, *meritoria*, *instrumentali*, et praesertim *formali*, quae est iustitia Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit (sess VI. c. VII), quae quidem *Dei* est quia a Deo nobis infunditur per Christi meritum, eademque *nostra* dicitur quia per eam nobis inhaerentem iustificamur (c. XVI.)

CCIV

Divinam maxime nobis ingerunt gratiae ideam quae Patres docent de iustorum deificatione, quam *θεωσιν* graeci appellant, qua consortes efficimur divinae naturae atque increatae bonitatis sanctitatisque participes: haec porro deificatio iustorum et nominatim in filios Dei adoptio, licet sit communis toti Trinitati, appropriatur tamen, quemadmodum loquitur S. Thomas (1). Patri ut auctori, Filio ut exemplari, Spiritui Sancto ut imprimenti in nobis huius similitudinem exemplaris.

CCV

Spiritui Sancto, qui Sanctitas est hypostatica et Donum, iure optimo sanctificatio tribuitur splendidissimis Patrum testimoniis (2): neque tamen substantiva Spiritus Sancti donatio et inhabitatio in anima iusti cum ipsa gratia *formaliter* iustificante confunditur.

(1) 3 p q 2 art 2
(2) Petav de Trin l. VIII c. IV seqq

CCVI

Hominis iustificati bona opera, quemadmodum loquitur Tridentina Synodus (sess. VI c. 32) ita sunt dona Dei ut sint etiam bona ipsius iustificati merita, qui bonis operibus, quae ab eo per Dei gratiam et Iesu Christi meritum fiunt, vere meretur augmentum gratiae, vitam aeternam et ipsius vitae aeternae, si tamen in gratia decesserit, consecutionem atque etiam gloriae augmentum.

CCVII

Tantum abest ut per catholicam de merito ac generatim de gratia doctrinam aliqua ex parte meritis I. C. D. N. derogetur, quemadmodum haeretici calumniantur, ut potius Christi Iesu gloria illustretur, (Conc. Trid. sess. VI. c. 33. sess. XIV. cap. VIII.). porro etiam ut omnia quae ad gratiam pertinent ad Christi gloriam referantur, ipsa gratia pretioso Christi sanguine nobis comparata iure optimo tamquam proprio nomine nuncupatur gratia Christi.

DE SS. EUCHARISTIAE SACRAMENTO

DE REALI PRAESENTIA

CCVIII

Licet veritates sive lumine rationis evidentes sive lumine fidei certae, canonis instar saltem negativi demonstrare possunt, qui sensus certis quibusdam Dei verbis subesse nequeat; falsum tamen est, examen hujusmodi analogiae praesertim rationis semper aut nominatim in interpretatione verborum Christi Math. XXVI. 26. cum parallelis Marc. Luc. 1 Cor. XI. et Io. VI. per se praerequiri ad genuinam verborum Dei intelligentiam assequendam

CCIX

Concedimus tamen hujusmodi examen ob methodum scientificam posse, ob rationes polemicas quandoque oportere praemitti; tum vero negamus *criterium positivum*, quod recens quaedam schola in omnibus fidei dogmatibus postulat, perspectae conformitatis cum humana ratione adhibere ius et fas esse, contendimus sufficere et suppetere *criterium negativum*, quod nullae sunt cognitiones *evidentes*, quibus, quod sensu immediato verborum Christi enuntiatur, *evidenter* repugnet, et quae ideo canonis instar haberi possint ad eundem proprium et immediatum verborum sensum excludendum.

CCX

Sermone Christi Io. VI. 48-59 promissam esse ac praeparatam institutionem Eucharistiae, in qua Christi caro et sanguis vere realiter et substantialiter continentur, manducetur et bibatur, omnibus intrinsecis interpretationis regulis demonstratur. Id enim convincitur *a)* ex comparatione cum ipsa Sacramenti institutione; *b)* ex evidenti transitu ab exhibitione Christi tamquam obiecti fidei in priori parte orationis vv. 35-47 ad declarationem carnis et sanguinis Christi tamquam veri cibi ac potus in parte hac altera; *c)* ex evidenti verborum proprietate, quam demonstrant tum nativa illorum potestas, tum comparatio praedicatorum in hac posteriori parte cum praedicatis in priori parte, tum absurditas sensus metaphorici; *d)* ex modo quo orationis sensus intellectus est ab auditoribus et confirmatus a Christo; *e)* denique ex collatia simul obvii et claro verborum sensu, consecuto ex illis effectu in auditorum animis, et charactere ac consueta docendi ratione divini magistri.

CCXI

Verba institutionis Eucharistiae Math. XXVI. 22. 28; Marc. XIV. 22. 24; Luc. XXII. 19. 20, 1. Cor. XI. 24. 25. intelligi non possunt sensu improprio de instituto signo tantum et figura corporis ac sanguinis Christi, sed intelligenda necessario sunt sensu proprio et immediato affirmante, ipsum corpus et sanguinem Christi sub symbolis visibilibus constitui. Tum enim *a) generatim* leges humani sermonis, tum *b) spectatim* adiuncta omnia personarum et rerum sensum posteriorem, qui enuntians rem maximam verbis clarissimis sponte sese offert, solum Christo dignum et ideo verum, sensum autem illum priorem, qui esset inextricabilis et rem facilem involvens verbis difficillimis, Salvatoris bonitate et sapientia indignum atque ideo falsum demonstrant.

CCXII

Veritas sensus proprii in verbis institutionis praeterea confirmatur *a)* ex identitate perfecta relationis apud quatuor Scriptores inspiratos tam *positiva*, quam *negativa* sita in omissione cuiusvis explicationis, quae nec ipsis nec successoribus in munere docendi usque ad exortas haereses necessaria visa est; et confirmatur *b)* ex effectu eorumdem verborum in fideli et humili Christianorum onimo, atque ex modo quo sensus figurae et signi obtrusus est, simul spectata in Christo Domino praevisione diversissimae dispositionis animorum, quae praerequiritur et quae futura erat ad proprium et ad figuratum suorum verborum sensum amplectendum.

CCXIII

Inspectio denique et mutua collatio appositorum, quibus *corpus* apud Lucam et Paulum, *sanguis* vel *calix san-*

guinis apud omnes tres Evangelistas secundum propriam quamdam rationem strictius determinatur, manifesto demonstrat, non signum tantummodo corporis et sanguinis sui sed ipsum suum proprium corpus propriumque sanguinem a divino Redemptore exhiberi.

CCXIV

Absurde Sacramentarii sive ex ratione Sacramenti, sive ex verbis a Christo subnexis « hoc facite in meam commemorationem », sive ex comparatione quarumdam locutionum Scripturae quas sacramentales dicunt, sive ex tropica locutione quam in verbis, ut sunt apud Lucam et Paulum, ipsos Catholicos recusare non posse aiunt, suadere nituntur, panem et vinum verbis institutionis appellari signum corporis et sanguinis Domini, non autem illud quod in Eucharistia exhibetur, ipsum corpus esse ipsumque sanguinem Christi.

CCXV

Ad quaestionem quam Catholici theologi ad illustrandam, Protestantes ad calumniandam veritatem proponere solent, quid in verbis eucharisticis significet pronomen *hoc*, responsio ceteris plenior et ideo ad praecidendas tricas minime necessarias aptior illorum esse videtur, qui cum Cardinali Du Perronio distinguunt inter *significationem* formalem et inter *demonstrationem*. Qua distinctione supposita continuo intelligitur, pronomine *hoc* neque panem neque corpus Christi *significari*, sed praesentiam rei in confuso sub visibilibus speciebus, quae exhibentur; quod autem subest *demonstrationi*, initio propositionis esse panem in statu transeunte, et ea completa esse corpus Christi in statu permanente. Unde simul apparet, sententias quae hac de re apud plerosque catholicos theologos leguntur, non esse oppositas sed diversas discrimine facile conciliando.

CCXVI

Corpus et sanguis Christi ipsis verbis evangelicis, quibus Salvator in ultima coena Sacramentum instituit, realiter ac substantialiter praesens fieri credi debet. Quae igitur in orientalibus et aliquot occidentalibus liturgiis post verba consecratoria occurrunt Spiritus Sancti invocationes super dona proposita, non pertinent ad corporis Christi praesentiam vel efficiendam vel impetrandam, ut post Nicolaum Cabasilam orientales schismatis fautores contendunt, sed ad effectae iam realis praesentiae declarationem et ad fructus salutaris in corpore Christi morali, quod est Ecclesia, implorationem.

CCXVII

Claritati verborum Christi testamentalium semper et ubique apud omnes haeredes novi Testamenti inde ab Apostolicis temporibus fides respondit in veram ac realem praesentiam corporis et sanguinis Domini. Cuius quidem universalis fidei demonstratio omnino luculenta est imprimis in iis monumentis christianae antiquitatis aetate, loco, indole diversis, professione conspirantibus, in quibus Ecclesiarum Doctores et Ecclesiae integrae, hoc mysterium *data opera dogmatice* declarare propositum habent. Non modo enim professionem inculcant, in Eucharistia esse *ipsum* corpus, *verum* corpus, esse *veraciter* corpus Domini, quod documentis etiam aliis per inoidens de hoc Sacramento agentibus commune est, sed praeterea hanc fidem multipliciter illustrant, dum *a) affirmando* attributa et consectaria realis praesentiae describunt; dum *b) negando* excludunt quae fidei realis praesentiae officere possent; dum *c) comparando* visibile cum invisibili in Sacramento modum ipsum, quo corpus Christi fit praesens, credendum proponunt.

CCXVIII

Antiquitas, universitas et consensio christianae fidei in idem hoc dogma praeterea demonstratur ex ratione disputandi, qua SS. Patres illud ipsum adversus haereses velut principium constituebant omnibus compertum. Ex una enim parte directi et in sectam coalescentes errores circa realem praesentiam primis octo saeculis vix comparent, ex parte vero altera Patres inde ab aetate apostolica haereses omnes circa dominicam Incarnationem emergentes, sive de natura assumpta, sive de modo assumptionis, sive de persona assumente illae errarent, constante hac veritate realis et substantialis corporis ac sanguinis Filii Dei in Eucharistia validissime convinci arbitrabantur.

CCXIX

Ipsa publica et quotidiana omnium fidelium tam luculenta professio ineffabilis mysterii nullo adhuc instante adversario, una cum arcani disciplina quoad non initiatos diligenter custodita effecit, ut Patres citra periculum praeposterae interpretationis non raro fundamentali dogmate supposito, mentem orationemque converterint ad capita doctrinae cum illo connexa, hisque modum loquendi de Eucharistia conformaverint. Ea autem doctrinae capita ad sequentia revocantur; *a)* Eucharistia duplici constat elemento, signo videlicet per se visibili et re per se invisibili, quae se habent instar typi et antitypi; *b)* corpus et sanguis Christi dum praesens fit non propria sed sub aliena specie, est expressio, antitypus et memoriale mysteriorum, quae complevit Christus idem ipse in propria specie, simulque pignus fruitionis remotis symbolicis in patria futurae; *c)* sine proximo Sacramentum refertur ad corpus Christi morale, quod est Ecclesia, pro parte visi-

bili tamquam symbolum pro parte invisibili tamquam causa efficiens et quodammodo formalis intimae unionis membrorum cum capite et inter se ipsa; denique *d)* quia hic effectus non obtinetur per manducationem carnis nisi fiat « usque ad participationem Spiritus », haec sola manducatio est, qualem Christus esse voluit. Innixi sunt ergo Protestantes cum Patrum locutiones, quae aliquam ex commemoratis rationibus Eucharistiae directe respiciunt et dogma fundamentale supponunt, veiut excludentes interpretantur.

CCXX

Facta distinctione inter duplicem existendi modum corporis Christi in specie propria et sub speciebus sacramentalibus, intelligi potest, quomodo Catholici nonnulli saeculo IX adversus Paschasium Radbertum distinxerint « non quidem quod absit naturaliter sed *specialiter aliud corpus* Domini quod ex substantia panis et vini consecratur, et aliud *specialiter corpus* Christi quod natum est de Maria Virgine » (Anonym. Gemblac.)

CCXXI

Ad modum existendi sacramentalem corporis Christi in Eucharistia quadamtenus declarandum pertinet, quod SS. Patres ad distinctionem a modo existendi naturali docere solent, corpus Christi in Eucharistia *spirituale* esse *spiritualemque* sanguinem; unde mens fide illustrata mirabilem illum modum cogitare aptius vix potest, quam ad *analogiam* modi existendi spirituum. Hunc autem corporis existendi modum sicut nec imaginationi nec philosophicae demonstrationi pervium esse fatemur, ita vicissim rationibus evidenter cognitis impossibilem ostendi posse negandum est.

CCXXII

Sicut Verbum exinanivit semetipsum non amittendo formam Dei in qua erat, sed assumendo formam servi in qua non erat: ita ad manifestationem dilectionis, sapientiae ac potentiae infinitae modum reperit mirabilem in mysterio Eucharistiae exinanitionis glorificatae etiam humanitatis, non amittendo majestatem exaltationis in qua sedet ad dexteram Patris, sed induendo inter filios hominum statum victimae, cibi ac potus ad unionem intimam membrorum adhuc languentium cum capite glorioso in uno corpore. Haereticorum ergo calumnis, doctrinam catholicam de reali praesentia in Sacramento esse contra Christi dignitatem, simillima est gentilium blasphemiae Incarnationem repugnare Dei majestati.

DE TRANSSUBSTANTIATIONE

CCXXIII

Catholica doctrina de SS. Eucharistiae Sacramento non absolvitur professione, « Christum post consecrationem vere, realiter et substantialiter esse sub speciebus, tumque omnem panis et vini substantiam cessare solis remanentibus speciebus », ut Pistorienses opinari visi sunt; sed praeterea ad praescriptum fidei credendus est modus ipse, quo corpus et sanguis Domini fit praesens « per mirabilem et singularem conversionem totius substantiae panis in corpus et totius substantiae vini in sanguinem, quam conversionem catholica Ecclesia aptissime *transsubstantiationem* appellat. »

CCXXIV

Ad conceptum conversionis generatim requiri videtur et sufficere, ut *a)* duplex sit terminus unus *a quo* alter *ad quem*, ille desinens hic succedens secundum aliquam rationem entis pro diversitate conversionis diversam; ut *b)* inter desitionem unius et successionem alterius mutuus sit nexus et ordo, quo successio exigat prioris desitionem et desitio ordinetur ad successionem alterius; *c)* praeterea conversio, transsubstantiatione quoque non excepta, saltem *magis proprie* dicatur, si in utroque termino perseveret reale aliquod *tertium commune*, quod cum termino *formali* constituat terminum *totalem*; inde enim fit, ut vere dici possint « ea quae sunt in id mutari, quod non erant » (Ambros. myst. c. 9.); tandem *d)* licet simpliciter productio termini formalis *ad quem* non neque postuletur neot desitio termini *a quo*, videtur tamen ad conversionem *maxime propriam*, respectu etiam habito ad conversionem eucharisticam secundum Patrum explicationem, postulari, ut positio termini *ad quem* productioni magis quam adductioni sit analoga, atque adeo productioni aequipollens actio, quam *replicationem* dicere possumus (Lessius de div. perfect. XII. 16)

CCXXV

Praemissa conversionis notione, quam saltem in confuso omnes concipiunt, demonstratur modum, quo in Eucharistia praesens fit corpus et sanguis Domini per conversionem totius substantiae panis et vini in pretiosum corpus et sanguinem, non minori consensione christianae antiquitatis propositum esse credendum quam ipsam realem sub sacramentalibus symbolis praesentiam; in praedicatione enim ecclesiastica ex Patrum scriptis

et ex liturgiis omnium Ecclesiarum manifesta tum per analysim singula substantialis huius conversionis elementa explicata reperiuntur, tum synthetice dogma ipsum in complexu, multiplici locutionum varietate ac demonstrationum et similitudinum splendore vindicatur et illustratur.

CCXXVI

Neque ex ambiguitate nominum conversionis et transmutationis, neque ex improprietate, quae fertur, locutionum apud Patres et in liturgiis occurrentium, « ex pane, de pane, panis fit corpus Christi » hisque similium, luculenta traditionis doctrina obscurari potest, cum ambiguitas nominum in contextibus monumentorum nulla sit et improprietas locutionum non alia, nisi quod particulae quae in conversionibus aliis designant commune subiectum vel communem materiam, adhibeantur non solum sine obscuritate sed insigni cum efficacia et claritate verborum de termino a *quo* secundum totam substantiam transeunte solis remanentibus speciebus.

CCXXVII

Non desunt rationes, ob quas Patres vetusti adversus Gnosticos disputantes Irenaeus, Origines, Tertullianus, Patres deinde aliqui Africani post Augustinum Manichaeorum debellatorem, et potissimum ii qui ex mysterio Eucharistiae communi consensione admisso Monophysitas impugnabant, Theodoretus, Ephrem Antiochenus, Gelasius, auctor epistolae ad Caesorium distinctionem inter id quod est visibile et quod est invisibile in Sacramento, expressius urgerent. Eos autem non de substantia panis et vini sed de sola permanente realitate

specierum intelligi oportere, quando partem visibilem Sacramenti *rem terrenam*, *materiale quid*, *naturam panis et vini haud desinentem*, *essentiam sensibilem*, *rem sensibilem* appellant, ex auctorum scopo, ex contextibus et ex nominum significatione non usque adeo insolenti manifesto demonstratur.

CCXXVIII

Ipsis verbis institutionis non solum realis praesentiae sed etiam transsubstantiationis dogma contineri affirmandum est; ita enim persuasum semper in Ecclesia Dei fuisse, Ecclesia ipsa nos docet (Trid. sess. 13. c. 4). Unde ecclesiastica praedicatio et traditio circa hoc doctrinae caput prae verbis institutionis ut in Scripturis consignata leguntur, authentici commentarii instar haberi debet. Quibus positis non modo Lutherana haeresis, sed etiam errores confutantur eorum, qui verba evangelica de naturae panis assumptione hypostatica, vel de forma corporis Christi informante materiam panis intelligi posse docebant.

CCXXIX

Doctrina de speciebus sacramentalibus, quae constituunt *tertium commune* in utroque transsubstantiationis termino et partem sensibilem Sacramenti, per se theologica est, saltem si quaestio generalis restringatur ad hanc specialem: utrum species sacramentales sint aliquid physicum remanens ex pane et vino cuius tota substantia transiit, an sola immediata operatio Dei in nostros sensus et in obiecta circumiacentia. Ex fontibus igitur theologiae propriis ad priorem quaestionis partem affirmando ad posteriorem negando respondemus; ita enim Patrum doctrina minime ambigua quoties hac de re agunt. Conciliorum et potissimum synodi Constantiensis loquendi ratio cum omni-

bus sua adiunctis rite perpensa, theologorum et scholarum omnium consensus usque ad saeculum XVII labens unanimis persuadent, praesertim cum etiam ab illa Cartesiana aetate theologi, si qui erant in partem alteram propensiores, sua dubia cautissime proposuisse, philosophi autem certi et rati nihil adtulisse videantur, quod existentiam « accidentium sine subiecto » *absolute* repugnare demonstret.

CCXXX

Licet corpus Christi in Eucharistia non sit subiectum inhaesionis accidentium panis, est tamen per unionem sacramentalem tamquam substantia demonstrabilis sub illis tamquam speciebus demonstrantibus, et ideo actiones ac mutationes, quae fiunt circa accidentia formaliter ut sunt signa exhibentia corpus Christi praesens, denominative praedicari possunt et usu ecclesiastico praedicantur de corpore Christi sacramentali: praepostere vero ex huiusmodi locutionibus, quibus Berengarius in Concilio Romano sub Nicolao II realem praesentiam expressius declarare iussus est, intulerunt aliqui, fieri accidentia panis ipsius corporis Christi propria tamquam subiecti inhaesionis.

DE SACRIFICIO TUM GENERATIM TUM SPECIATIM
DE SACRIFICIO CHRISTI CRUENTO ET INCRUENTO

CCXXXI

Agnitio Dei tamquam supremi principii et ultimi finis proindeque agnitio absolutae dependentiae rerum omnium a Deo supremo domino, pro quovis statu humani generis, et agnitio culpae cum obligatione ad satisfactionem pro

statu lapso ita sunt debiti actus interni, ut eorum manifestatio externa non minus in humana natura fundetur, quam cultus externus generatim cum cultu interno lege naturae cohaeret

CCXXXII

Sensus internos, quos diximus, cultu externo exhibendi modus solemnis ac peculiaris, legi naturae congruus, apud omnes gentes quovis tempore receptus, in religione revelata divinitus sancitus is est, ut homo humanaque societas rem aliquam substantialem sibi substituat, eamque velut sui vice totam Deo offerat per realem destructionem vel per aequivalentem exinanitionem rite institutam, qua agnitio supremi domini Dei in res omnes ut sint vel non sint, absoluta dependentia, et reatus hominis lapsi exprimatur et aspectabilis reddatur.

CCXXXIII

Huiusmodi oblationes esse actus divini cultus speciales suique nominis ex eorum inspecta natura patet, esse et proprio nomine dici *sacrificia* constat tum universim ex omnium gentium consensione tum specatim quoad veri Dei cultum in religione revelata ex Sacris Scripturis.

CCXXXIV

Omni sacrificio intrinsecum est, ut sit supremae maiestatis adoratio, quo cum fine principe ex ipsa sacrificii natura connectuntur gratiarum actio et impetratio ac in hypothesi hominis lapsi propitiatio vel indigentiae expiationis expressio. Quadruplex hic sacrificiorum finis ex tota etiam re sacrifica veteris Testamenti facile deducitur, immerito ergo Ioannes Iahn conqueritur, hanc consnetam in sacrificiis distinctionem a theologis absque fundamento Scripturarum fuisse excogitatam.

CCXXXV

Praeter rationem omni sacrificio essentialem, toti rei sacrificae veteris Testamenti ex divina dispositione inerat ratio typica respondens propriae indoli illius oeconomiae. Unde quatenus sacrificia erant expiatoria immediate pertinebant ad efficiendam typicam « emundationem carnis » et ad significandam necessitatem expiationis theologicae, mediate vero ad praefigurandum magnum sacrificium, quo expiatio erat perficienda et ex quo adhuc futuro « redemptio quoque erat praevaricationum sub priori testamento ».

CCXXXVI

Quemadmodum per symbolicas substitutiones in sacrificiis typicis veteris Testamenti exprimebatur necessitas et indigentia vicariae substitutionis pro lapso humano genere ad eius expiationem; ita Filius Dei per Incarnationem factus homo, mediator Dei et hominum tamquam secundus Adam et caput totius generis humani in plenitudine temporis dedit se ipsum magnam substitutionem pro omnibus, ut divinae iustitiae satisfaceret.

CCXXXVII

Ad hanc substitutionem complendam Iesus Christus in ipsa Incarnatione institutus est sacerdos ad seipsum offerendum Deo victimam pro peccatis; in eruce autem se ipsum in *verum* et *proprium sacrificium* actu obtulit.

CCXXXVIII

Hoc cruento sacrificio satisfactio pro peccatis completa et meritum ad conciliandas quasvis gratias consummatum est ita, ut nec redemptionis meritum amplius augendum sit « nec alia relinquatur pro peccatis hostia », ex qua neglecto illo uno sacrificio semel oblato satisfactio et redemptio exspectari possit.

CCXXXIX

Plenitudo meriti et satisfactionis consummata in sacrificio crucis nullatenus excludit sacrificium perenne, quo meriti eiusdem et satisfactionis ad singulos fiat applicatio; immo si quod huiusmodi perenne sacrificium institutum est, sacrificii crucis, quo semel oblato Christus « consummavit in sempiternum sanctificatos », virtus inexhausta semper nova in effectu semper antiqua in causa eo illustrius demonstratur

CCXL

Consensio totius nominis christiani theoretice et practice inde ab aevo apostolico sese manifestans, ex liturgiis orientalibus et occidentalibus Patrumque scriptis comprobata certos nos reddit, institutisse Salvatorem, qui ad mereualem redemptionem sacrificio cruento semel est oblatus, ut ipse idem *sacrificia incruento vero tamen et proprio* ad applicandum redemptionis meritum perpetuo offerretur in Eucharistiae celebratione.

CCXLI

Apostolica haec traditio perpetuo ab universali Ecclesiarum consensu custodita lamquam uberior explicatio respondet principiis in ipsa S. Scriptura consignatis. Huc pertinent imprimis oracula prophetarum et nominatim vaticinium Malachiae I, 11 (Coll. III, 3; Is. LXVI, 21), quo *a)* promittitur nova oeconomia et in ea cultus Dei futurus universalis in oppositione ad cultum Mosaicum particularem; ita tamen *b)* ut cultus novus *externus* sit et in omni loco peragendus *externo* ac *proprie dicto sacrificio*, quod succedat sacrificiis Mosaicis, *c)* « quia igitur non ge-

uus sacrificiorum reprobatum est sed species immutata » (Iren IV. 18), differentia inter sacrificia improbata et sacrificium promissum describitur iis characteribus, qui incruentum Eucharistiae sacrificium praenuntiari haud obscure demonstrant.

CCXLII

Quod in prophetis promissum erat, Christus adimplevit; in ultima enim coena ipsum sacerdotem secundum ordinem Melchisedech corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini vere et proprie obtulisse in sacrificium et in Ecclesia perpetuo offerendum instituisse demonstratur ipsius Salvatoris verbis, ex quibus collato textu graeco cum latino vulgato Lc XXII 20; Mt. XXVI, 28; Mr. XIV, 24; tum Lc. XXII, 19; 1 Cor. XI, 24 constat, actionem qua Christus corpus suum pro nobis dandum in cruce et sanguinem suum pro multis in cruce effundendum realiter et substantialiter sistebat sub speciebus panis et vini, fuisse actionem sacrificam, qua constituebatur Christus ipse sub sacramentalibus speciebus in formali ratione et statu victimae; adeoque constat etiam, celebrationem Eucharistiae, quam candem perpetuo « in sui memoriam facere » praecepit, verum esse sacrificium corporis et sanguinis Christi et « oblationem mundam divino nomini magno in gentibus ».

CCXLIII

Iisdem documentis christianae fidei, ex quibus veritatem sacrificii eucharistici declaravimus, pariter demonstratur, illud non modo adorationis et laudis sed etiam sacrificium esse impetrationis et propitiationis pro vivis et defunctis.

CCXLIV

Propitiatio in sacrificio Eucharistiae *a)* ratione principii non est per novum Christi meritum novamque satisfactionem sed per meriti in cruce consummati applicationem, *b)* ratione effectus non est ad immediatam peccatorum expiationem, sed *c)* hoc sacrificio «placatus Dominus gratiam et donum poenitentiae concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit»; tandem *d)* pertinet propitiatio ad immediatam poenae pro culpis expiatis adhuc luendae remissionem.

CCXLV

Eo ipso quod proponitur credendum, Eucharistiae celebrationem esse verum et proprium sacrificium, credendum pariter est, elementa omnia quae essentiam constituunt sacrificii generatim spectati, in hoc speciali sacrificio reperiri; non tamen ideo aeque ad fidem explicatam pertinet, vel quae sint singulae essentiales notae sacrificii in genere vel in quo huius eucharistiae sacrificationis essentia unice reponenda sit. Confundunt ergo obiectum catholicae fidei propositum cum obiecto theologicae deductionis et analysis, qui catholicorum Doctorum dissensione in explicanda propria *forma* et *essentia* sacrificii eucharistici abutuntur ad impugnandam consensionem in profitenda *veritate* sacrificii.

CCXLVI

Ad intelligendam intrinsecam, quam diximus, eucharisticae sacrificationis formam, prae oculis habendum imprimis est, incruentam hanc oblationem et in se esse verum ac proprium sacrificium et simul esse relativum ad sacri-

ficium cruentum in cruce peractum; ita enim Christus illud instituit, ut constituendo vi verborum corpus sub speciebus panis et sanguinem sub speciebus vini fiat realis et expressa repraesentatio effusionis sanguinis semel in cruce factae atque adeo effusio mystica, licet realis effusio non consequatur.

CCXLVII

Quamvis ex hac mystica effusione praeclare intelligatur forma sacrificii *relativi*, si est verum sacrificium, non tamen ex ea per se spectata satis intelligitur, *quomodo* Eucharistiae celebratio in se ipsa sit verum et proprium sacrificium. Putamus ergo cum Cardinali De Lugo plurimisque deinceps theologis, intrinsecam sacrificationis formam in eo esse, quod Christus magnus Sacerdos per ministerium sacerdotum ejus nomine offerentium, corpus et sanguinem suum sub speciebus panis et vini constituit secundum quamdam sanctissimae suae humanitatis a functionibus et rationibus existendi connaturalibus ad statum cibi et potus exinanitionem. Haec enim sententia ex comparatione capitum quorumdam doctrinae, quae de mysterio Eucharistiae omnino rata sunt, cum communi sacrificii conceptu, ex SS. Patrum nominatim Dionysii Alexandrini, Gregorii Nysseni, Cyrilli Alexandrini doctrina, atque ex formulis liturgicis non paucis quoad rem ipsam facile colligitur et quoad modum etiam loquendi a christiana antiquitate non est aliena.

CCXLVIII

Quatenus species sacrificii a victima potius et sacerdotio quo perficitur, quam a modo offerendi desumitur, distinctio contra numerica a multiplicatione pendet actionis sacrificae, sacrificium in cruce, in coena, in altari *simpliciter specie unum*, et non nisi *secundum quid* distinctum cen-

sendum est; numero autem non modo illa inter se distinguuntur sed etiam ipsa sacrificia in altari *simpliciter* numero multa sunt et *secundum quid* tantummodo unum.

DE POENITENTIA

DE POENITENTIAE SACRAMENTO GENERATIM

CCXLIX

Poenitentiae virtutem cuisque fructum Christus Dominus ritui a se instituto alligavit quo Christianorum peccata clavibus Ecclesiae rite subiecta solvuntur, et lapsis post baptismum beneficium mortis Christi applicatur, atque hoc sensu Poenitentia est verum propriumque Novae Legis Sacramentum remissionis gratiam producens ex *opere operato*.

CCL

Poenitentiae Sacramentum Christianis peccatoribus necessarium est necessitate praecepti et medii ex ipsa Christi institutione, adeo ut quemadmodum nondum regeneratis ipse baptismus, ita poenitentiae Sacramentum, tamquam secunda post naufragium tabula et laboriosus quidem baptismus, lapsis Christianis sit ad salutem necessarium.

CCLI

Generatim poenitentiae Sacramentum hoc habet proprium quod institutum est ad modum iudicii, in quo tum divina Iustitia se prodit, tum maxime Misericordia: hoc vero sacramentale iudicium poenitentis actibus, ut quasi materia, et iuridica absolutione constat ut forma, quae quidem dici solent partes *essentiae* (3. p. q. XC.); materia vero in *integrales* partes subdistinguitur, quae tres iure recensentur, contritio, confessio et satisfactio.

CCLII

Quod potestas remittendi peccata, quae propria est Dei et Christi Domini, ministerialiter atque instrumentaliter sit etiam propria Ecclesiae in poenitentiae Sacramento, dogma est in. xx 23 et Matth. xvi 19 et xviii 18 manifeste contentum, adeo ut multiplices Protestantium interpretationes, quae id negant, manifesta sint Scripturarum perversio: haec vera sacramentalis Ecclesiae potestas remittendi peccata, hermeneutice ex In. xx. et Matth. xvi. et xviii intrinsecis argumentis deducta, dogmatice ex antiquissima perenni universali atque authentica Ecclesiae interpretatione stabilitur.

CCLIII

Obiectum atque materies tributae divinitus potestatis tam late patet ut nullum sit peccatum quod rite dispositis ab Ecclesia virtute clavium remitti non possit: nec tantae potestatis amplitudini ullatenus refragantur plura bibliorum testimonia quae a Novatianis potissimum obiiciebantur: quae quidem quandoque difficultatem praeseferunt hermeneuticam, sed dogma quo de agimus non attingunt.

DE ACTIBUS POENITENTIS

CCLIV

Quod ad poenitentia actus pertinet, prima poenitentiae pars, eaque omnium essentialis atque potissima, est contritio, seu animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero: quae quidem generica est contritionis descriptio.

CCLV

Generica contritionis notio iure in perfectam et imperfectam specie distinguitur ex distinctis specie motivis, atque adeo quae ex motivo amoris Dei *super omnia propter Se* dilecti concipitur, contritio dicitur perfecta et antonomastice contritio: quae vero concipitur ex alio supernaturali motivo et nominatim ex timore Dei punientis, imperfecta dici solet contritio sive attritio, quamquam hoc nomen alias etiam significationes apud antiquiores habuerit.

CCLVI

Dum charitas dicitur *super omnia*, perfectio significatur *appretiativi* amoris adeo ut Deus omnibus praeferatur et nihil contra eum ametur, sine quo vera charitas esse omnino non potest (2. 2. *q. XXIV a* 12. *q. CLXXXIV. a.* 5), at praeter hanc essentialem perfectionem non significatur, ut necessaria distincta perfectio, *affectus intensitas* dum vero charitas dicitur dilectio Dei gratuita *propter Se*, significatur amor Dei super omnia *directe propter Suam infinitam Bonitatem*; at non excluditur necessario respectus omnis ad Deum quatenus etiam Summum Bonum *nostrum* est eo ipso quod *in Se* est Summum Bonum

CCLVII

Hinc pronum est deducere quid *necesse* sit et *sufficiat* ut *contritio* habeatur *charitate* perfecta et quomodo specie ab imperfecta distinguatur.

CCLVIII

Contritio charitate perfecta, scilicet ex dilectione Dei propter ipsum Deum et super omnia concepta, poenitentem Deo reconciliat antequam Sacramentum actu suscipiatur neque ea requiritur tamquam necessaria dispositio ut poenitentiae Sacramentum rite suscipiatur

CCLIX

Vera, licet imperfecta, contritio et cordis conversio concipi etiam potest ex motivo timoris sine amoris motivo; adeoque hnissmodi contritio sive attritio verus est et utilis dolor atque ad iustificationem in Sacramento disponit.

CCLX

Summa doctrinae S. Thomae de timore (2. 2 *q. XIX*) S. Augustini hac de re doctrinam, qua tantopere Novatores et Iansenisni abusi sunt, scholastice illustrat, et catholicae doctrinae de bonitate timoris atque attritionis ex timore philosophicam simul et theologicam praebet intelligentiam.

CCLXI

Attritio ex metu gehennae seu ex timore puaientis Dei concepta non quaevis dispositio est ad iustificationem in Sacramento obtinendam, sed quod ad primam poenitentiae partem attinet, dispositio est *proxima* atque *sufficiens*: quae quidem doctrina, licet non sit a Tridentino definita, consona tamen prorsus est doctrinae Sess. XIV. cap. IV. neque doctrinae Sess. VI. cap. VI. ullo modo adversatur.

CCLXII

Altera poenitentiae pars est confessio. ex ipsis porro Christi verbis Io. XX. quemadmodum ostenditur necessitas Sacramenti poenitentiae ad peccatorum veniam post baptismum habendam, ita etiam ad ipsum Sacramentum poenitentiae ostenditur iure divino necessitas confessionis.

CCLXIII

Ex sensu Ecclesiae traditionali ostenditur confessionem sacramentalem omnium et singulorum peccatorum mortalium quae post baptismum commissa sunt, divinae institutionis esse et ad salutem necessariam.

CCLXIV

Tertia poenitentiae pars est satisfactio, cuius necessitas ad Sacramenti integritatem et ad plenam perfectamque peccatorum remissionem ex verbis Christi Io. xx. et ex huius Sacramenti natura colligitur et ex traditione luculentissime demonstratur

CCLXV

Inania sunt tria illa fundamenta quibus innixi Protestantes catholicam doctrinam de satisfactione impugnarunt, scilicet remissa divinitus culpa simul etiam omnem poenam remitti; nullam inesse posse poenitentiae operibus vim satisfactoriam sive pro culpa sive pro poena; imo huiusmodi satisfactionibus, si quae esse possent, infinitae Christi satisfactioni iniuriam irrogari.

DE INDULGENTIIS

CCLXVI

Poena, quae ad satisfaciendum pro peccatis, remissa culpa et poena aeterna, solvenda superest, remitti so relaxari etiam extra poenitentiae Sacramentum potest Ecclesiae auctoritate: haec porro poenae pro peccatis debitae relaxatio, generalis est Indulgentiae notio, quam ut Protestantes oppugnent, foede pervertunt.

CCLXVII

Ecclesiae potestas conferendi Indulgentias fundamentum habet in ipsis Sacrae Scripturae verbis Matth. XVI. 19 et XVIII. 18, actus etiam eius potestatis II. Cor. II. 6. 7 coll. 1. Cor. v. 4, 5. satis aperte indicatur; in antiquissima vero traditione, Romanae praesertim Ecclesiae et Africanae, habetur huius doctrinae *theoretica* simul et *practica* evolutio.

CCLXVIII

Ut historia universa de Indulgentiis illustrando dogmati inserviat et eruditio scientiae famuletur, triplicem potissimum Indulgentiarum epocham distinguimus, praesertim iuxta poenitentiae canonicae initia progressus et decrementa, itemque triplicem Indulgentiarum formam, quatenus poenitentiae sive publicae sive privatae, sive innnctae sive iniungendae, sive sacramentales sive non pro varia locorum ac temporum disciplina relaxatae sunt vel simplici remissione vel commutatione aliqua vel medio quodam modo, remissione scilicet praecipue sed quae ob aliquod opus iniunctum simul rationem habet commutationis: in tanta vero rerum varietate contendimus eamdem semper, quod ad substantiam rei attinet, explicari atque evolvi Ecclesiae doctrinam de Indulgentiarum potestate.

CCLXIX

Indulgentiae non solum liberant a poenae reatu coram Ecclesia ac si nihil aliud essent quam externae poenae canonicae relaxatio, sed a poenae reatu liberant etiam coram Deo, adeo ut qui Indulgentias lucretur ita divinae iustitiae satisfecisse censeatur ac si propriis operibus satisfecisset: haec vero Indulgentiarum vis coram Deo tum generalibus argumentis tum etiam propriis pro triplici Indulgentiarum epocha et forma singillatim demonstratur.

CCLXX

Quum in praesenti oeconomia nulla fiat divinitus sive culpae sive etiam poenae remissio quin simul ex Christi meritis divinae Iustitiae fiat satis, et quum ex dogmate de communione Sanctorum viva Christi membra in corpore eius quod est Ecclesia possint in Christo et per Christum etiam pro aliis invicem satisfacere, palam fit Ecclesiam per Indulgentias ita poenitentes a poena absolvere ut simul Deo solvat debitam satisfactionem ex superabundantibus satisfactionibus Christi et Sanctorum: adeoque completa Indulgentiae notio continetur tum absolutione vi clavium, tum pretii solutione Deo facta ab ipsa Ecclesia pro eo qui a poena absolvitur.

CCLXXI

Huc spectat inexhaustus ille qui dici solet Indulgentiarum *thesaurus* a Protestantibus tantopere oppugnatus, qui ad Ecclesiam prout una est et catholica, unum scilicet Christi corpus, tamquam commune bonum pertinet, et ex cuius applicatione, non per simplicem charitatis communionem vel per impetratoriam oblationem, sed per legitimum ministerium Ecclesia *potestative* Indulgentias largitur.

CCLXXII

Ecclesiae potestas tribuendi Indulgentias ad fidelium animas in Purgatorio detentas extenditur per modum, ut aiunt, *suffragii* satisfactorii, scilicet non quidem iuridica absolutione quemadmodum fit in subditos, sed tantum pretii solutione quemadmodum generice fit in aliis suffragiis, nisi quod specifice solutio haec fit ab Ecclesia ex

clavium potestate: in qua quidem re, praeter Ecclesiae potestatem, fidelium pietas concurrit et charitas, qui iniuncta implentes opera propriae absolutionis iuri cedunt ut pro defunctis potius ab Ecclesia solutio fiat ex ipso Indulgentiarum thesauro.

CCLXXIII

Eo ipso quod Indulgentiae absolutione constent vi clavium et solutione ex catholicae Ecclesiae thesauro, plenitudo potestatis Indulgentias concedendi in visibili Ecclesiae capite Romano Pontifice invenitur: ex iisdem vero principiis consequitur Episcopos quoque divino iure potestate non delegata sed propria, licet subordinata atque ex rei naturo et lege ecclesiastica definita, Indulgentias subditis largiri: qui vero non sunt positi regere Ecclesiam Dei Indulgentias largiri non posse nisi delegata potestate.

CCLXXIV

Statutis haetenus principiis, quod scilicet Indulgentiae actus sunt potestatis clavium ex opere operato ad absolutionem poenae et ad solutionem ex thesauro Ecclesiae efficaces, non satis videntur ii theologi institisse qui ad *validitatem* Indulgentiarum plus aequo necessitatem caussae quam dixerunt *proportionatam* ex parte concedentis, et qui ex parte suscipientis, praeter alias conditiones et opera iniuncta, *poenitentiae studia* qua quis de suo ut aiunt satisfaciat, cum Caietano et Amortio necessitatem exaggerarunt.

CCLXXV

Indulgentiae proprius effectus est *poenae*, non *culpae* remissio. scilicet fideles Indulgentias lucrando sive partiales

sive plenarias idem consequuntur quod propriis poenitentiis consequerentur quatenus eae sunt *satisfactoriae*, non autem quatenus *medicinales* etiam sunt ac *meritoriae*: tantum vero abest ut per Indulgentias culpa remittatur ut potius, mortali culpa nondum remissa, nulla omnino possit poena remitti; imo neque remitti possit per ipsas plenarias Indulgentias ea poenae pars quae iis venialibus culpis debetur quae non sunt remissae: multiplici tamen modo per Indulgentias medicina etiam contra futuras culpas et meritorum augmentum culparumque remissio mediate et indirecte haberi potest.

CCLXXVI

Abusus qui a Protestantibus vel finguntur vel exaggerantur, Indulgentiis ipsis extranei sunt: Indulgentiarum vero usus multiplici ex capite est Christiano populo maxime salutaris: universa denique de Indulgentiis Ecclesiae doctrina et praxis cum Christiana *fide* et *pietate* intime connectitur.

A. M. D. G.

IMPRIMATUR
Fr. Hieronymus Gigli O. P. S. P. A.
Magister.

IMPRIMATUR
Petrus Castellacci Archiep. Petr.
Vicesgerens